Bibl. Pr. Gen. S. I.
N. II D. 1

DE SOLEMNITATE VOTORUM

PRÆCIPUE PAUPERTATIS RELIGIOSÆ

EPISTOLA.

DE SOLEMNITATE VOTORUM

PRÆCIPUE PAUPERTATIS RELIGIOSÆ

EPISTOLA

VICTORIS DE BUCK

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU

AD FRATREM SUUM REMIGIUM

LECTOREM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ IN EJUSDEM SOCIETATIS
COLLEGIO LOVANIENSI

ALMA COLLEGE
348.735
LIBRARY
B855
Alma, California

BIBLIOTH. PRIVATA
P. PRAEP. GEN. S. J.

BRUXELLIS
TYPIS FRANCISCI VROMANT
—
1862

Jus Can - IV - 57
2
26.583
3861

MONITUM

Typis editus est hic liber, non ut emptione in omnium manus veniat, cum quinquaginta solum exemplaria impressa fuerint; sed ut quaestio quam agitat melius intelligatur, quantique sit momenti perspiciatur.

Exhibet haec Epistola, utut constans 515 paginis, synopticum solum tractatum illius libri, quem auctor sibi conscribendum proposuerat. Opus hoc eo libentius suscepit auctor, quod Episcopi Belgii omnes, cum Illmo Nuntio Gonella ac Revmo Domino De Ram, Mechliniae congregati, mense Augusti 1861, tractatione inter se de hac re habita, litteris per Em. Card. Archiepiscopum Mechliniensem, nomine omnium Episcoporum, ad Provincialem Soc. Iesu in Belgio datis, petierunt ut de hac gravissima quaestione Tractatus ab ipso P. V. De Buck ederetur. Quare si Romae placuerit, hic Tractatus synopticus poterit facili negotio ampliari, ac typis edi. Interea omnia exemplaria quae prodierunt apud Superiores Societatis deposita sunt.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epistola0000vict

PROŒMIUM

Postularunt complures a me, Remigi amantissime, et quotidianis fere flagitiis me urserunt ut epitomen libri conficerem, quem de solemnitate voti paupertatis religiosæ eatenus absolveram, ut sola ea pars deesset, quæ monumenta historica et doctorum placita complecteretur : et quidem hæc ita parata erat ut in ordinem dumtaxat redigenda essent testimonia. Quæ nemini magis quam tibi innotescunt, siquidem ipse innumera theologorum et jurisconsultorum dicta mihi collegisti ; hac parte me felicior, quippe qui instructissimam bibliothecam theologicam ad manum habeas. Et quidem, quoniam operis mei ita consors es, nolui summarium istud, quod extorsit

benevolentia an auctoritas, certe veterum beneficiorum memoria, in ullius manus venire quin tuum inscriptum sit nomen; eaque de causa placuit ei formam indere epistolæ, quæ tibi destinata sit.

Verum in eo faciendo breviario scopulum mihi omnino vitandum esse intellexi. Si enim ita vela contraham ut res potius indicem quam explicem, quum ii, quibuscum forte superiores hanc meam lucubrationem communicaturi sunt, non eo abundent otio, ut ad omnigenos fontes, historias intelligo et theologorum jurisque peritorum libros, recurrere possint, facile fiet ut dubitent potius quam mihi consentiant. Quare visum est, siquidem obsecundandum est iis qui brevitatem ament, multa omittere, quæ aut omnino necessaria non sint, aut nonnihil difficilia. Inde itaque profectus sum, quasi iis, qui scriptionem meam lecturi sunt, bene perspecta esset religiosi status natura et præcipuæ leges, atque imprimis Societatis Jesu rationes, quæ gradus tam varios habet. Dein inter historica aliaque documenta potiora selegi, reliquis omnino prætermissis; quin etiam argumenta seposui multa, quæ ex episcoporum regularium aliorumque beneficiariorum conditione, ex veterum clericorum statu,

ex ordinum militarium disciplina aliisque id genus capitibus repeti possunt; neque hæc tantum resecui, sed multa alia omisi, quibus adversariorum præcepta consistere non posse demonstretur; contentus ea adduxisse quæ ad viros prudentes in meamsententiam inclinandos sufficere visa sint. Unde intelliges quomodo factum sit ut multa hic reperturus non sis de quibus sæpius inter nos fuit sermo, atque etiam datus non sit locus pluribus monumentis, quæ tuæ debui diligentiæ.

DE SOLEMNITATE VOTORUM

PRÆCIPUE PAUPERTATIS RELIGIOSÆ

CAPUT PRIMUM.

AN CANONICA MONASTERIORUM RATIO EA SIT UT PERSONAS CIVILES CONSTITUANT. QUÆ HAC SCRIPTIONE DEMONSTRANDA VIDEANTUR.

Placet exordium ducere a conditione monasteriorum, atque id imprimis quærere an lege canonica ita res eorum ordinatæ sint ut personam civilem constituant. Porro non te latet, Remigi, omnium religionum non easdem esse de paupertate leges et rationes. Aliæ ita institutæ sunt ut neque privatim, neque communiter quidpiam possidere possint religiosi; et ut res, quarum usu saltem precario carere non possint, censeantur penes donatores esse aut

Romanum pontificem, per syndicos aut patres temporales repræsentatum, donec consumptæ sint : olim enim ignorabantur plane personæ civiles, quibus fit ut ens legale, non autem naturale, rerum dominium habeat. Et quidem, si id notum fuisset, numquam exstitissent acerrimæ controversiæ de paupertate Fratrum Minorum, quibus universa ecclesia aliquandiu turbata est ; neque dixissent iidem Fratres, quum aliquando Romanus pontifex admittere noluit rerum eorum dominium, eas in vago manere aut nullius esse. At vero olim plures erant ordines, qui illo jure utebantur ; sed quum institutio illa, maxime si multi eam sequantur, incommodis plena sit, concessit Tridentina synodus omnibus, præter Capuccinos et Fratres Minores de Observantia, ut possent deinceps communiter bona possidere ; quo jure Benedictini ab initio nixi erant. Atque hoc alterum est paupertatis genus et jus ordinarium seu commune regularium.

In hoc autem id consistit, ut (verbis utor Navarri (1))« bona regularium professorum omnia sint communia eis, non ut singulis, sed ut universis ; » sequuntur scilicet ferme rationem veterum collegiorum et universitatum, quæ non a republica, sed

(1) In decretales, commentarius de regularibus, de dominio bonorum, t. I, p. 99, Coloniæ, 1616.

conventione privata instituta, jure Romano tamen agnita erant (1); nequaquam autem personarum civilium fictionem juridicam.

Si enim quæratur (nam alicubi diligentius id quærendum est) quid sit persona civilis, alios dicentes audio : « Pour qu'il y ait personne civile, il faut que la personne soit morte et que la société subsiste ; » alios : « C'est un être moral distinct des individus qui le composent, se renouvelant par la succession non interrompue de ses menbres, ayant une existence propre, des droits particuliers, acquérant, possédant pour lui des biens immobilisés dans ses mains ; » alios alia adhibentes verba, quibus tamen idem significetur. In his nemo dicere potest *meum* aut *nostrum;* nil illic commune est ; nil de quo singuli aut universi disponere possint ; sed omnia sunt penes ens morale, fictum a lege, quæ propterea persona civilis aut juridica appellatur. Qui autem bonis fruuntur, interdum ne administri quidem sunt ; sed neque usufructuarii certo jure, sed potius pro alieno arbitrio ; ut pauperes, quorum necessitatibus per mensarum Spiritus Sancti, nosocomiorum et aliarum id genus institutionum facultates subvenitur aut aliquod affertur

(1) Cfr. Warnkœnig, Institutiones juris Romani privati, lib. I, cap. II, tit. VI.

levamen. Sed alia omnino est jure ordinario regularium conditio; quippe qui eo sint inter proprietarios loco, quo qui nunc juxta codicem Napoleonianum communistæ dicuntur ; quia vita communis, de qua tam multus est in eorum libris disciplinaribus sermo, iisdem verbis definiri potest, quibus societas universalis bonorum et lucrorum, articulo 1837 codicis Napoleoniani descripta, scilicet : « La société de tous biens présents est celle par laquelle les parties mettent en commun tous les biens meubles et immeubles qu'elles possèdent actuellement et les profits qu'elles pourront en retirer. Elles peuvent aussi y comprendre toute autre espèce de gains. » Exceptio autem quæ adjicitur : « Mais les biens qui pourraient leur avenir par succession, donation ou legs, n'entrent dans cette société que pour la jouissance : toute stipulation tendant à y faire entrer la propriété de ces biens est prohibée, sauf entre époux, et conformément à ce qui est réglé à leur égard, » a jure canonico ignoratur; quin immo juxta leges ecclesiasticas licet religiosis adire hereditates ; quæ (quoniam in vita communi quidquid est unius, dominium fit universorum) omnium sunt mancipii. Verum neque ecclesiæ, neque reipublicæ intererat ut hæc ad congerendas inter monachorum manus divitias via tam late pateret ; et multa certe magno hortamento erant ut pote-

states ecclesiastica et civilis inter se paciscerentur de moderanda communibus sanctionibus hac nimia licentia; sed ne tentarunt quidem ea de re convenire. Hinc prius aliquot in locis consuetudine, deinde principum legibus cautum est ne monasteria, hereditario jure absorptis patrimoniis, paulatim præter modum ditescerent: certe, quum anno 1289 Ægidius Li Muisis, celeberrimus S. Martini Tornacensis abbas, maternam hereditatem adire vellet, « scabini, videntes eum in regulari habitu (novitius scilicet tum erat in S. Martini), consilio habito, responderunt quod secundum consuetudines civitatis Tornacensis nullus umquam, indutus habitu monachali, successionem habuerat per judicium scabinorum (1). » Quo testimonio apparet Guidonis, comitis Flandriæ, decretum, quod anno 1293 propositum est, antiquissimum hac super re documentum non esse. Idem cavit in Brabantia anno 1312 Joannes dux; verum minus hæc servata fuerunt, donec Carolus V imperator anno 1515 et 1520 statuit ne sine unanimi principis et magistratus metropolitani assensu ulla bona cederentur monasteriis, hospitalibus, capitulis, collegiis aut aliis manibus mortuis (2). Similis lex

(1) Ap. de Smet, Corpus chronicorum Flandriæ, t. II, p. 134.

(2) Cfr Van Espen, Jus eccles., part. I, tit. XXIX, num. 16 et seqq.

jam pridem in Galliis etiam lata est; itemque in aliis regionibus : sed nuspiam, quin contradixerint ecclesiæ præsules; immo, quum respublica Veneta non disparia molita esset, hæc una ex causis fuit, ob quas Paulus Papa V terras Venetas interdicto subjecit : qua pœna vix quidquam in historia ecclesiastica celebrius est. Inde in locis, in quibus id genus legum obtinuit, religiosi habiti sunt civiliter mortui. Verum, ut ex dictis plane manifestum est, civilis hæc mors nequaquam canonica est, sed semper habita ecclesiæ injuria et contumelia; et certe cessavit, ubi per rerum publicarum conversionem universim id institutum abolitum est. Quæ quum facta sint, vim tamen suam habere pergunt pristina momenta ad modum imponendum monasticarum opum incrementis. Ad quam rem sufficere videtur illa ipsa articulo 1837 apposita coangustatio; quæ nemini videri non possit justa et legitima, atque religiosis ut cæteris civibus observanda. Quare sponte sua aut hereditatibus nuntium remittant religiosi, aut usumfructum dumtaxat sibi reservent aut æquam patrimonii partem; ita ut, licet jure canonico assem admittere possint et ad communitatem transferre, nemo excedere debeat fines articuli 1837, quo vetatur ne quidquam ex futuris hereditatibus, donis et legatis ex conventione in commune conferatur.

Hinc quoque sequitur maximo in errore versari eos, qui arbitrentur secundum ecclesiasticas leges bona mobilia aut immobilia ordinis religiosi esse aut conventus, quasi is ens quoddam logicum esset, ab ipsis religiosis diversum. Imprimis nullus omnino ordo religiosus exsistit aut exstitit, in quo res ordinis essent, non autem singulorum monasteriorum. Deinde, si excipiantur Fratres Minores, quos rerum dumtaxat usum precarium habere diximus, reliqui religiosi omnes secundum jus decretalium eadem plane ratione possident in communi ac societates musicorum, sagittariorum, francomuratorum aliæque, quibus per leges belgicas liberum est coire et quas exstare non posse nemo non videt, nisi res quasdam emant aut conducant. Porro de rebus emptis jure merito singulos socios dicere posse : « Sunt nostræ,» manifestum est; propterea quod eas in communi possideant : sed plane aliam esse conditionem hospitii pauperum, mensæ Spiritus Sancti, academiæ aut alius instituti, quod a republica erectum sit, non minus est evidens ; hic enim neque administratoribus, neque pauperibus, neque academicis juste et proprie dicere licet : « Res nostræ sunt ; » sed aut minus aut certe non amplius quam sola adhibere verba : « Res ad usum nostrum sunt expositæ ; » aut : « Administrationi nostræ sunt commissæ ; » quoniam dominium censetur penes ens logicum,

jure publico institutum, ita tamen ut vere sit penes civitatem aut universam gentem, quæ res illas possidet cum onere eas ad certos fines usurpandi. Sed nil simile in universo jure canonico deprehenditur; quin etiam, quum ad exitum superioris sæculi id dogma in comitiis gallicanis propositum fuit, quo deveniretur ad bonorum ecclesiasticorum proscriptionem, quæ *nationalisatio* dicta est, nemo profecto inter catholicos vir honestus id probavit, quasi cum ecclesiæ legibus conveniret; sed uno ore dixerunt omnes juris divini, naturalis et humani violationem esse.

Neque probatur doctrina dicentium bona monastica et ecclesiastica quæque Dei esse, Christi, Romani pontificis aut ecclesiæ universæ (1); singularum enim sunt societatum, ut luculente ponit S. Gregorius Magnus in epistola ad Constantium, episcopum Mediolanensem (2), ubi statuit ecclesiæ Comensi, etiamsi schismati implicita esset, pristinam « possessionem jure competere. » Quod autem Romani pontifices certis conditionibus iniquas bonorum alienationes ratas habuerunt, nihil ad rem.

(1) Cfr. Carrière, de Jure et justitia, part. I, sect. I, cap. IV, numm. 114 et seqq.

(2) Regestum, lib. IX, indict. II, epist. LIII, ap. Migne, Patrologia, tom. LXXVII, col. 992.

Hæ enim condonationes seu cessiones fuerunt jure alti dominii aut supremæ administrationis, vel etiam declarationes quod, quum secus pax reipublicæ restitui non posset, possessores juribus suis nuntium remittere debebant : necesse enim esse ut privatum bonum publico cedat. Quam declarationem etiam fecit Joannes-Baptista cardinalis Caprara, legatus pontificius, de bonis migratorum.

Ex his itaque nequaquam sequitur religiosos, ut universos seu communistas, bonorum suorum dominos non esse. Et quidem tantum abest ut juxta ecclesiæ leges monastica bona penes ens logicum sint, a monachis diversum, ut singulis competat juridica actio, si præter regulas communitatis ab actibus acquirendi, conservandi, alienandi et utendifruendi excludantur ; eadem plane ratione ac socii quicumque qui rem in communi possident. Quæ negare nemo potest, nisi statuat religiosos omnes ea conditione esse qua Fratres Minores Observantes et Capuccinos, eosque neque communiter, neque singulariter quidquam possidere.

Verum, licet hæc ita sint, passim religiosis aleæ plenum visum est ad hæc instituta confugere, maxime quod jam semel a comitiis publicis gallicanis omnia ecclesiastica et imprimis monastica bona proscripta fuerunt eo nomine, quod collegia et universitates omnes lege civili consistant, eademque lege

dissolvi possint, et quod, si dissolvantur, bona eorum nullius sint adeoque a reipublicæ fisco legitime mancipentur ; quin ulla distinctio facta sit inter collegia universitatesque, a republica instituta, et inter collegia universitatesque, quæ originem suam reipublicæ non debent; licet, jure Romano, quemadmodum jam innuimus, ingens inter ambo genera sit discrimen, et certe posterius genus, ad cujus normam monasteria jure decretalium efficta sunt, vix aut ne vix quidem distingui possit a societate, in qua bona et lucra communia sunt. Quod si tamen discrimen aliquod intersit, id tale non est quod tolli non possit levi ab ecclesiasticis decretis recessu; quem recessum olim non minus quam nunc fuisse necessarium, ut pax inter civilem et ecclesiasticam rempublicam esset, jam docuimus. Verumtamen hæc periculo propinquiora visa sunt quam ut usurparentur; et propterea aliis religiosis placuit in alienis ædibus habitare, aliis in ædibus alicujus seu omnium sodalium, qui earum non fictitii essent possessores, sed qui vere, et ut singuli, et non alio modo ac reliqui Galliæ et Belgii proprietarii earum dominium haberent; eisque idcirco sequenda esse principia, quæ jam explicabo ; et quæ quam necesse sit sequi testimonio sunt plura Belgii et Galliæ tribunalium judicia.

Horum autem primum est solemnitatem votorum

constitutam esse in cæremoniis et conditionibus, præscriptis ab ecclesia, eadem vota interventu suo palam confirmante et ut solemnia admittente ; si quæ autem his annectatur impotentia seu incapacitas, eam non oriri ex ipsis votis solemnibus aut iis necessario inhærere, sed proficisci ex sola lege ecclesiastica ; cujus legis vi et auctoritate eadem votis solemnibus, jam constitutis, superaddatur; et proinde vota solemnia consistere posse quin ulla eis insit impotentia aut incapacitas;

Secundum, certum esse voto solemni castitatis ab ecclesia affixum fuisse impedimentum infirmans subsequens matrimonium, et vim additam dissolvendi matrimonii rati, non tamen consummati; sed nil simile reperiri, quo afficiatur votum solemne obedientiæ ; et quæri posse exstentne ecclesiastici canones, quibus universim religiosi professi facti sint incapaces dominii; quodsi nulli inveniantur hujusmodi canones, leges quibus vetentur esse proprietarii, esse mere prohibitivas ; quapropter earum obligandi vim cessare, ubi servari nequeant sine magno damno, etiam privato ; atque, ubi hæc vis cesset et auctoritas, nullo detrimento affici ipsam votorum solemnitatem ;

Tertium, quodsi tamen universim professi vere incapaces sint dominii, ut vulgaris theologorum et sacrorum canonum interpretum sententia est, (ne-

que de Societatis nostræ professis dubium esse videtur, de quibus, uti etiam de coadjutoribus formatis, singularia in Constitutionibus præscripta sunt), hanc tamen legem, utpote positivam et ad rei essentiam non spectantem, cassam fieri, quando in universo regno seu civitate nociva fiat, seu quum ita mutatæ sint res et tempora ut non ad ædificationem faciat, sed ad destructionem ; neque tunc iterum perire solemnitatem votorum, sed solam dominii incapacitatem, votis solemnibus superadditam, suspensam esse aut vi carere ;

Unde sequi (sive prohibitiva sit lex, sive irritans, qua vetantur professi verum rerum dominium acquirere) hac eos non obligari in iis omnibus regionibus, in quibus ordines religiosi exstare nequeant, quin singula membra (nisi summo periculo se exponere velint) proprietarii sint ; adeoque iis in locis propter supremam necessitatem votum solemne paupertatis simul consistere cum genuino veroque rerum temporalium dominio seu proprietate.

CAPUT SECUNDUM.

AN SOLEMNITAS VOTORUM CONSTITUI POSSIT IN TRADITIONE RELIGIOSI, ACCEPTA ECCLESIÆ INTERVENTU.

Si quis autem hæc bene intellecta habuerit, facile fatebitur omnem dubitationen oriri ex definitione solemnitatis votorum; si enim ad ejus essentiam pertineat qualiscumque vis et potestas irritandi actus contrarios, planum est professum nulla necessitate, neque etiam auctoritate Romani pontificis fieri posse capacem obtinendi rerum temporalium dominii. Facere quidem potest supremus ecclesiæ magistratus ut professus desinat professus esse, sed

nequaquam ut sit professus, non habens ea quæ de essentia professionis sint. Contra, si irritandi illa vis nil cum essentia commune habeat, sed votis solemnibus lege ecclesiastica insita fuerit, abesse posse manifesto apparet, quin quidquam de solemnitate perdatur. Quare universa fere mea disputatio in hoc quærendo versabitur quid sit votorum solemnitas.

De ea multi multa dixerunt, antequam ad finem sæculi XVI exorta est inter Dominicanos et Societatis nostræ theologos acerrima controversia de scholasticorum nostrorum votis. Sed in hac ita vicerunt nostri, ut exinde videre sit jurisconsultos et aliorum ordinum theologos qui, ubi ad hanc quæstionem venerunt, satis habent scribere : « Videantur theologi Societatis Jesu. » At vero inter theologos et jurisconsultos nostros non omnino convenit.

Tres enim reperio sentiendi modos ab iis defensos fuisse. Primus est, quem suum fecit Gregorius de Valentia (1), scilicet « solemnitatem voti consistere in traditione (saltem tacita) personæ per *actum* voti et promissionis *non secundum solam suam traditionem nude consideratam, sed ut affectam certis quibus-*

(1) Commentar. Theolog. tomus III, complectens materias 2. 2. S. Thomæ, disp. VI. quæst. VI, de voto, puncto V, col. 1769, Ingolstadii, 1603.

dam circumstantiis, ab ecclesia juxta cujusque religionis institutum approbatis. Hujusmodi enim actu posito, ita volente ecclesia et Deo acceptante, transfertur in Deum particulare illud dominium, quod persona, antequam cum ejusmodi circumstantiis voveret, habebat sui ipsius ad exercenda valide et sine alterius quidem injuria ea, quæ sunt contraria iis quæ vovet, atque adeo sit eo ipso talis persona veluti quoddam mancipium divinum. Et inde fit ut jam jure, etiam naturæ et divino, talis persona sit inhabilis ad tradendum se alteri per matrimonium aut ad faciendum valide et juste opera contraria illis quæ vovet. » Quum in Germania docuerit Gregorius, hinc factum est ut hæc ejus sententia illic non nihil propagata fuerit, alibi fere nullos habens asseclas.

Quæ quum proposuit vir ille summus, theologiæ scholasticæ in Germania pater, cogitavit longe recedere ab eorum placitis, qui votorum solemnitatem et consequentes effectus morales, quos dicunt, ex jure naturæ aut divino repetere velint ; quin etiam ostendit neminem sua sponte posse, etiamsi centies se traderet et devoveret, privare se facultate quacumque naturali, verbi gratia ineundi matrimonia, possidendi dominia, capessendi hereditates et alia id genus ; adeoque, si quis incapax sit, necesse esse ut id factum sit auctoritate publica. Negavit similiter solemnitatem votorum in qualicum-

que impotentia reponi posse, quum hæc votorum solemnium effectus sit, non autem ipsa solemnitas. Verumtamen, quum ejus mens perculsa esset hac cogitatione communiter maximum discrimen inter vota solemnia et simplicia fieri, ita ut qui solemniter profiteatur, modo peccata sua contritione perfecta aut pœnitentiæ sacramento expiarit, liber sit a culpa et a pœna et quasi novo baptismo lotus, non potuit sibi persuadere solemnitatem votorum nil aliud esse quam confirmationem eorumdem per auctoritatem ecclesiæ. Singularem itaque eis vim attribuit; cujus effectus sit matrimoniorum irritatio, ex ipsa rerum natura exorta.

Verum ut sententia illa, quam eximium Gregorii de Valentia nomen commendat, facilius intelligatur, pauca quædam excerpenda videntur ex Thoma Sanchesio; qui, licet eam nequaqnam probet, immo prorsus abjiciat, tanta tamen diligentia eam exposuit ut nuspiam apertius eam declaratam reperturus sis. « Præmittunt itaque, ait (1), defensores aliqui duplicem esse traditionem, quandam perfectissimam et solemnem, quæ tradentem semetipsum privat totali corporis dominio, et ex consequenti per se et ex ipsa rei natura inhabilem

(1) Sanchez, de Matrimonio, lib. VII, disp. XXV, num. 11.

reddit ad transferendum dominium sui in alium ; alteram autem esse non perfectissimam, neque solemnem, quæ nimirum reddit personam subjectam ac mancipatam illi, cui traditur : at non privat tradentem omnino dominio, nec incapacem efficit ex vi illius traditionis, quin valide, peccando tamen, transmittat sui dominium in alium. » Ajunt præterea solemne votum non in solo actu se tradentis consistere, quum qui simpliciter castitatem vovet, æque ac qui solemniter, totam suam personam Deo obstringat et totam suam operandi facultatem ad castitatem servandam ; sed prorsus necessariam esse Dei acceptationem ; maxime « quoniam professio non est contractus gratuitus instar voti simplicis, sed est contractus onerosus, ultro citroque obligatorius, quo professus fidem suam astringit Deo et obligatur religioni, et religio ipsa Dei nomine obligatur religioso ad retinendum eum et alendum et tractandum secundum religionis institutum ; deinde quia nec traditio nec donatio perfecta esse valent aut transferre dominium a donante in donatarium , sola donantis traditione ; sed donatarii quoque acceptatio desideratur... Hæc autem acceptatio, per quam transfertur dominium in voto solemni, non fit immediate a Deo, sed ex Dei commissione per ministros ab ecclesia ad id deputatos... Legitima ratio est cur ad votum simplex acceptan-

dum solus Deus concurrat, non autem ad solemne, quoniam est valde dissimilis ratio in acceptanda promissione et acceptanda traditione ; nam acceptatio promissionis eo solum ex ipsa rei natura pertinet, ut promittens maneat adstrictus ad standum promissis, retenta potestate et cura gubernandi rem promissam ejusque dominio penes ipsummet voventem ; at acceptatio traditionis perfectæ cum acquisitione possessionis et dominii ordinatur ex natura rei ad usum rei traditæ et acquisitæ ejusque gubernationem : frustra enim est dominium sine usu. Et hinc est Deum numquam se solo admittere traditionem totalem alicujus rei sibi factam, nec usurpare dominium peculiare illius ultra id, quod illi competit tamquam causæ universali, nisi mediis prælatis. Non enim vult uti, immediate et tamquam causa particularis, re aliqua et eam gubernare. Quod explicatur exemplo : nam ideo non admittitur peculiare agri dominium per donationem Deo factam, nullo ejus nomine acceptante ; quia Deus de lege ordinaria nequit uti nec frui agro illo, ut causa particularis, nisi medio aliquo homine... Per votum (1) itaque solemne religiosi transfertur dominium personæ in Deum, ita ut jam non habeat religiosus dominium sui corporis ad usus matrimonii ;

(1) Ibid., disp. XXVI, num. 4.

ergo jure naturæ est irrita translatio dominii in conjugem per matrimonium.... Sed respondebis traditionem per contractum matrimonii non pugnare cum traditione per professionem ;.... at quando duo vincula non ita repugnant quin simul stare possint, unum suapte natura non expellit alterum. At solutio hæc non exhaurit difficultatem ; quia vinculum matrimonii in fieri, id est quoad sui initium, ita adversatur professioni religionis præcedenti, ut nullatenus simul consistere possint : secus in facto esse, id est postquam semel est legitime initum matrimonium ; tunc enim potest stare cum professione valida. Ratio discriminis ea est, quia non potest valide iniri matrimonium absque plena translatione potestatis corporum et jure ac potestate utendi illis et obligatione mutuo cohabitandi ; quæ translatio et jus adversantur e diametro professioni, utpote quæ plene transfert dominium corporis professi in Deum cum obligatione perpetua abstinendi a quibusvis venereis et usu conjugali ; atque ita suapte natura obstat professio matrimonio valide ineundo. At postquam semel legitime contractum est matrimonium cum plena hac translatione potestatis et juris, potest matrimonii essentia permanere, amisso jure usus corporis et cohabitationis ; et constat quando alter adulteratur vel alter ex conjugis licentia profitetur. »

« Sed nullatenus, inquit Sanchesius (1), hæc sententia placet, quia minus bene constat cum testimoniis pontificum et minus bene defendit constitutionem Gregorii XIII; et quod juxta illam dicitur naturam status religiosi petere ut, nullo sibi reservato dominio, quispiam transferatur in Dei potestatem, cujus obsequio omnino per eum statum se dedicat, pugnare videtur directe cum ea constitutione, definiente illos qui, retento dominio, vota post biennium simplicia emittunt, esse proprie et vere religiosos, non secus atque ipsos professos; quod verum non esset, si natura status religiosi id peteret, ut nullum reservaretur dominium. Præterea quod asserit prædicta sententia esse duplicem traditionem, alteram perfectissimam, alteram autem minus perfectam, pugnare etiam videtur cum dicta constitutione Gregorii XIII, quia hæc traditionum diversitas manifestam traditionum diversitatem specificam denotat, quia per earum alteram professus privatur ex natura rei quodam corporis dominio, quo non privatur non professus; quod si hujusmodi traditiones essentialiter differant, palam fit essentiam status religiosi, quæ per traditionem completur, essentialiter imperfectiorem esse et di-

(1) Ibid. disp. XXV, num. 24.

versam in iis Societatis Jesu religiosis, qui sola vota simplicia emittant : quos tamen dicta constitutio Gregorii XIII definit vere et proprie esse religiosos non secus atque professos cujusque religionis : tandem quia male explicat prædicta sententia decretum Bonifacii VIII, cap. unico *de voto,* in sexto, asserentis solemnitatem voti esse de solo jure ecclesiastico inventam, esse intelligendam de sola solemnitate accidentali et non de essentiali : quod responsum aperte adversatur definitioni Gregorii XIII in dicta constitutione ; qui, dum refert errorem eorum, qui male interpretati fuerant priorem ipsius constitutionem et dixerant eos, qui non sunt professi per vota solemnia, non esse vere religiosos, ait eos id dixisse non considerantes voti solemnitatem sola ecclesiæ constitutione inventam esse : at illi theologi, contra quos pontifex loquebatur, satis consideraverant solemnitatem accidentalem esse ab ecclesia inventam ; atque id ad decretum Bonifacii responderant ; quod decretum illi sibi in suis scriptis objecerant ; atque horum responsum Gregorius XIII vidit in eisdem scriptis. Ergo constitutio Gregorii XIII de solemnitate etiam essentiali intelligenda est ; atque, eodem Gregorio XIII interprete, decretum Bonifacii de illa eadem essentiali solemnitate intelligi debet. »

Hac responsione plane convellitur sententia, qua

solemnitas votorum in perfecta sui traditione, a Deo per ecclesiæ magistratus accepta, constituitur. Verum, quum Sanchesii responsio sola auctoritate externa nitatur, necesse esse videtur nonnulla addere, quibus interna ejus fundamenta subruantur.

Imprimis quod dicitur ingens discrimen esse inter professionem solemnem et simplicem, quod qui illam faciunt a culpa et a pœna liberi habentur, nihil est. Olim videlicet qui ad pœnitentiam publicam agendam admittebantur, initio manus accipiebant in pœnitentiam; qua cæremonia seu sacramentali absolutione eximebantur a culpa et ad vitam spiriritualem revocabantur, sed jubebantur a sacramentis vivorum abstinere, donec imposita pœnitentia functi essent: ita ut compararentur Lazaro, vitæ restituto, sed vinculis adhuc ligato et funebri sindone. Quum autem pœnitentiæ stadium percurrissent, et manus eis imponendæ essent in reconciliationem, et communio, id est jus accipiendi sacramenta vivorum, seu pax danda foret, novæ fiebant preces, quibus Deus rogabatur ut dein liberi essent a pœna et a culpa; non quod jam pridem culpa remissa non esset, sed quod culpa, pœnæ radix et origo, perstare censebatur, donec pœnæ finis esset: qui usus in aliis similibus ecclesiasticis rebus adhuc obtinet. Ubi autem alteram hanc absolutionem acceperant, tunc a culpa et pœna absoluti ha-

bebantur, intrinsecus et exterius vivi similesque Lazaro, soluto funerariis ligaminibus, seu etiam iis qui ex baptismi lavacro recenter exiverant; ita ut de neophytorum et de reconciliatorum puritate eadem assererent pristini doctores. Porro priscis illis temporibus monachi et pœnitentes perpetui eodem censu habebantur, amboque dicebantur mundo mortui: quod animadvertere illi velint, qui etiam ex hac dictione eruere volunt in professione solemni singularem vim esse ad spoliandum hominem omni sui et rerum exterarum dominio: ut itaque pœnitentes per homologesim justitiæ divinæ satisfaciebant et, accedentibus ecclesiæ orationibus, ab omni plane pœna fiebant liberi, sic quoque monachi per vitæ religiosæ professionem; hoc solo discrimine ut hi initio arduæ suæ vitæ, illi ad finem hanc gratiam nanciscerentur. Verum, ut satis patet, hæc culpæ et pœnæ remissio nil aliud erat nisi indulgentia plenaria, quæ nunc etiam passim iis conceditur, qui vota religionis, sive simplicia, sive solemnia faciunt. Liquet hinc quoque mortem spiritualem monachorum nil huc facere; quum pœnitentes, qui similiter spiritualiter mortui habebantur, rerum suarum dominium certissime non amittebant, et, si vetabantur uxorem ducere atque etiam ductam cognoscere, ea tamen prohibitione invalidum non erat matrimonium.

Deinde quod professio solemnis perfecta traditio dicitur, simplex vero imperfecta, nequaquam stare potest. Imperfecta enim seu quæ a donatario non acceptatur prorsus nulla est. Scilicet si aureum pauperi donem, ipse autem non admittat, manifestum est traditionem aurei futuram nullam ; neque illi minimum obligatus ero : ita ut, quod illi respondent traditionem simplicem seu imperfectam acceptari a Deo quoad obligationem, non quoad dominii translationem, vana verba esse videantur; iis enim nil aliud significatur, nisi quod qui vota simplicia faciunt revera se Deo non tradant et mancipent, sed solum se ita victuros spondeant, quasi Deo devoti et consecrati forent, non quod reapse religiosi essent. Nec quidquam valet exemplum agri, qui Deo donari nequit, nisi intercedant ecclesiastici magistratus : quum alia sit conditio agri, alia hominis, qui, utpote libera præditus voluntate, semet Deo conjungere potest seque ipsi dicare et vivere, quin alius ullus interveniat ; dum ager Deo incassum offeratur, nisi in utilitatem religionis aut pauperum cedat; quod fieri nequit, quin ii, qui pauperes aut religionem procurant, ejus possessionem ineant. Præterea nil est cur Deus hominis promissiones potius admittat quam sui traditionem; quandoquidem, quum Christus religiosum statum instituit et ad eum discipulos suos invitavit, satis

ostendit se eorum legitimam traditionem, qui eum amplecterentur, non minus admissurum, quam vota, quæ « reddenda » esse Spiritus Sanctus significavit.

Non itaque convenit dogma cum Gregorii XIII in decretali epistola *Ascendente Domino* de scholasticorum nostrorum conditione verbis. Etenim, quum solemniter professi non sint, auctore Valentia, Deo traditi non essent, neque divina mancipia; contra Romanus antistes declaravit tria eorum vota, « tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota, ab sede apostolica fuisse admissa; illaque emittentes in statu religionis vere constitui; quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant. » Sane, quum religiosus status, non secus ac matrimonialis, ecclesiæ auctoritati plane subsit, possunt magistratus ecclesiastici certas præstituere conditiones; quibus non servatis, frustra tentarent homines hunc statum amplecti, uti alii illegitimum matrimonium inire; sed ubi eæ conditiones implentur, tradunt se Deo, ad id vitæ genus invitanti, nullius intercessu, eorumque traditionem acceptat Deus. Dein, ut post alios plures advertit Vasquez (1), religiosæ traditionis et

(1) Commentar. ac disput. in 1. 2. S. Thomæ, quæst. XCVI art. IV, disp. CLXV, cap. VIII, num. 68 et seqq.

mancipationis effectus necessarius non est impedimentum matrimonii dirimens. « Nam » inquit, si qua traditio corporis fit per votum solemne religionis, ea nullo modo pugnat cum traditione, quæ fit in matrimonio : neque enim res, tradita uni quovis titulo, nequit alteri tradi alio quovis titulo, tametsi fieri nequeat ut res tradita in dominium utile unius possit tradi in dominium utile alterius, quia hæc duo dominia, quod sint ejusdem rationis, secum omnino pugnant. » Quod autem ejusdem rationis non sunt traditio religiosa et traditio matrimonialis, explicat Lessius : « Non enim (1) per vota tradit (religiosus) potestatem corporis sui ad usum matrimonii, sed se tradit religioni ut ab ea gubernetur ; Deo vero, ut ipsi sit velut donarium consecratus ; quæ traditiones non inducunt vinculum repugnans vinculo matrimonii, (nam hæc vincula simul stare possunt ; ut patet, quando conjuges communi consensu vovent continentiam, vel etiam profitentur in religione,) sed solum repugnans usui matrimonii. Itaque nec professio, nec votum continentiæ irritum reddit contractum matrimonii supervenientem jure naturæ, sed solum jure ecclesiastico. »

(1) De Jure et justitia, lib. II, de Statu religioso, dub. VIII, num. 68.

Quid, ut Suaresii (1) verbis utar, « quod potestas matrimonii ineundi tam est naturalis et ad commune bonum totius naturæ data, ut, licet possit homo sola voluntate sua se obligare Deo ad non utendum illa, non tamen videatur posse se privare illa omnino et inhabilem se ad matrimonium reddere? » Quod argumentum in paupertatis voto multo magis perspicuum est, quum ne vivere quidem possimus, quin aer, quem haurimus, aqua, quam potamus, cibi, quibus vescimur, modo qualicumque nostri fiant; ita ut abdicationi dominii, quantumcumque extendenda videatur, certi limites præfiniendi sint : quibus utique apparet per traditionem seu professionem religiosam etiam interventu ecclesiæ acceptatam, Deo non donari neque donari posse naturales nostras facultates, ita ut in nostra potestate amplius non sint; sed ita Deo esse obstrictas ut usus earum in singularem ejus laudem cedere debeat; castitatis autem, paupertatis et obedientiæ exercitio impedimenta amoveri, quibus a spirituali vita homo avocetur : adeoque, si matrimonii ineundi dominiive adipiscendi copia tollatur, ecclesiastico decreto id

(1) De Religione, t. III, lib. II, cap. IX, num. 9.

(2) De Jure et justitia, lib. II, cap. XLI, dub. VIII, num. 68.

fieri, quo dirimatur contractus nuptialis aut rerum proprietas interdicatur et jus potius tollatur quam potestas.

Atque illis etiam facile solvi possunt quæ de matrimonio, post sui traditionem a religioso viro inito, objecta fuerunt; « quod scilicet matrimonium valide iniri nequeat absque plena translatione potestatis corporum et jure ac potestate utendi illis et obligatione mutuo cohabitandi; quæ translatio et jus adversentur e diametro professioni, utpote quæ plene transferat dominium corporis professi in Deum cum obligatione perpetua abstinendi a quibusvis venereis et usu conjugali. » Etenim potestatem corporis sui, utpote nulli donatam, alteri facere potest ea ratione, quæ secundum naturæ leges est, scilicet per tabulas matrimoniales, nisi ut satis jam monui magistratus, cui contractus ille obnoxius est, obstet eumque in antecessum irritum declaret. Quum itaque dominium sui, religionis gratia Deo donatum, etiamsi voto cum perpetua castitatis servandæ obligatione conjunctum fuerit, diversum sit a naturali illa corporis potestate; valide, licet sacrilege, de eo disponi potest; neque sacrilegium in ipso contractu consistit, sed in carnali copula, cujus causa initur. Unde liquet quantum hinc distet flagitium conjugis, qui, viva consorte, novum matrimonium attentat. Hic enim in aliam mulierem,

quantum in se est, transfert jus et potestatem, quæ uxoris jam sunt ; quo scelere justitia aperte lædi-tur, non religio. Nemo autem dixerit professum violando castitatem peccare adversus justitiam, sed adversus castitatem et religionem. Insuper plu-rima exempla proponit Suaresius (1) donationum, quibus homo Deo aut alteri singulari ratione traditur, quin matrimonii ineundi potestatem amittat, licet id etiam fieri nequeat sine Dei aut hominis quorumdam jurium violatione ; et absurda multa explicat, quæ ex illa doctrina necessario sequuntur. Verum hæc illic vide.

Quod si jam illius argumenti origo inquiritur, ea non videtur alia quam vetus illud commentum, quod (ut suo loco videbitur) jam pridem explosit S. Augustinus, scilicet castitatis professionem con-jugium cum Deo esse ejusque contaminationem esse adulterium ; quasi religiosus eodem fine et eadem ratione corporis sui potestatem in Deum transtulisset, quibus conjuges in se invicem : tantopere fallacia sunt quæ comparationibus nituntur theologica argu-menta, ut etiam summi viri, quorum numero certe habendus est Gregorius a Valentia, iis aliquando avocentur a recta via !

(1) De Religione, t. III, lib. II, cap. IX.

Alia a Vasquesio, Suaresio etc. opponuntur Gregorii a Valentia placito; quæ nolim hoc loco brevitatis causa prosequi : obnoxium scilicet est omnibus fere objectationibus, quibuscum conflictatur recentiorum Thomistarum sententia ; adeoque, si eas effugiat, quæ ex disertis pontificum Romanorum responsis proficiscuntur, scilicet solemnitatem votorum ab ecclesia inventam esse, in alias incurrit, quæ profecto non minus graves sint. Neque arbitror virum tam sagacem et tantæ doctrinæ id dogma umquam admissurum fuisse, nisi, ubi primun id docuit, sibi proposuisset quam proxime Thomistis accedere, (decretum enim XLI congregationis V nondum venerat in lucem ;) aut si quam partem habuisset in disputationibus, quibus theologicæ de solemnitate votorum opiniones Romæ excussæ sunt, priusquam Gregorius XIII et XIV constitutiones suas ediderint; aut certe si aliquid ad eum de eis perlatum fuisset.

Et quoniam dixi Valentiæ doctrinam a recentiorum Thomistarum præceptis non multum recedere, placet ea hic breviter exponere Carattinii, ordinis Fratrum Prædicatorum theologi, verbis : « Ex hactenus dictis, inquit (1) (multa nempe ante dispu-

(1) Vita Claustralis, dissert. VI, pag. 128, Veronæ, 1743.

tavit), illico effulget discrimen illud, quod ex se et suapte natura inter votum simplex et sollemne interest : ut votum simplex sit promissio Deo facta sine traditione, aut, si cum traditione est, hæc tamen traditio non accipitur ab eo, qui accipiendi auctoritatem habet, saltem in perpetuum et irrevocabiliter (tot modis fieri votum simplex potest) : e contrario votum solemne est promissio cum traditione, quæ accipitur firmaturque in perpetuum ab auctoritatem habente ; idcirco, qui solemniter vovet, perpetuo sacratus et mancipatus Deo manet, sublata omni resiliendi potestate ; » ita ut nullus locus esse possit dispensationi, et verba Bonifacii VIII et Gregorii XIII dicentium « voti solemnitatem ex sola constitutione ecclesiæ esse invectam » ita intelligenda sint ac si locuti tantum essent pontifices de modo solemnitatis ; aut, si de ipsa re, ac si ecclesia indicasset dumtaxat quæ vota solemnia habenda sint, neutiquam autem ac si ipsius solemnitatis causa fuisset et institutrix. Cujus opinionis, ut apparet, fundamentum est (non secus ac Gregorii de Valentia) cum voto solemni conjunctam esse perfectam sui ipsius traditionem ; non autem cum voto simplici : in hoc autem solum, ni fallor, differunt Thomistæ recentiores et Gregorius, quod hic penes ecclesiæ arbitrium omnino relinquere videtur eas *certas quasdam circumstantias, quibus traditio vestienda est ;* illi

autem aut eas non relinquunt, aut certe non magis quam materiam et formam sacramentorum, quas ipse Christus non definivit : neque ea differentia omnino manifesta est.

CAPUT TERTIUM.

AN SOLEMNITAS VOTORUM CONSTITUENDA SIT IN VI PRODUCENDI MORALES EFFECTUS SEU INFIRMITATEM ACTUUM CONTRARIORUM.

Secunda sententia est Suaresii; quam nolim meis verbis exponere, sed ipsius Eximii Doctoris: « Voti religiosi solemnitas, inquit (1), in duobus consistit: unum est ut traditioni seu oblationi personæ religiosæ, omnino *absolutæ* et ex utraque parte (scilicet

(1) De Religione, tom. III, lib. II, cap. 14, num. 4.

religionis et religiosi) *immutabili*, conjunctum sit : alterum est ut habeat vim *inhabilitandi* personam ad effectus morales supra declaratos, (scilicet faciendi ut professi impotes sint ineundi matrimonium, acquirendi dominium et firmiter contrahendi.) Hæc enim duo conjunctim necessaria sunt, et alterum sine altero non sufficit, ut... in votis scholarium et coadjutorum Societatis est manifestum. » Verum in priori conditione parum sistendum est : sunt enim regulares cœtus, quorum socii vota nonnisi simplicia nuncupant, absolute tamen sese tradentes, et ex parte religionis et religiosi immutabiliter ; dempta scilicet superioribus facultate dimittendi religiosos eaque soli Romano pontifici reservata. Deinde traditio, qua se aliquis ordini religioso mancipat, non ita absoluta est et immutabilis, ac multis videtur. Dedicat quidem se omnino religioni in genus seu singulari Dei servitio ; quod nunc extra ordinem approbatum legitime, atque ita ut quis de statu religioso sit, fieri non potest ; sed vinculum, quo uni potius ordini quam alii adscriptus sit, neque absolutum, neque immutabile est : potest enim, servatis ecclesiæ legibus, ad ordinem severiorem transire, maxime ad Carthusianos. Quin etiam olim fieri poterat, atque nunc etiam in certa rerum conditione, ut quis solemniter professus sit et religioso statui adscriptus, quin ulli omnino religioni sit obli-

gatus (1). Præterea nemo prudens dixerit ad solemnitatem requiri ut traditio ita sit absoluta et immutabilis, ut ea solvi non possit; quoniam, quum plurimi pontifices a statu regulari ad laïcum monachos aliosque professos traduxerint, sine summa eorum injuria dici nequit ab eis toties violata fuisse divina jura. Quare, etiamsi professus formulæ suæ adderet: «Voveo paupertatem, etc. usque ad mortem, salva semper in omnibus ecclesiæ Romanæ auctoritate, »vel : « Quamdiu Romano pontifici placuerit,» (quemadmodum scholastici Societatis nostræ interserunt: « Omnia intelligendo juxta ejusdem Societatis Constitutiones, » id est: « Quamdiu præposito generali me retinere placuerit, ») nemo propterea dixerit professionem illam solemnem non esse, ut jam pridem animadvertit Basilius Pontius (2): quum per regulam juris XXXVIII « utile non debeat per inutile vitiari. » Demum absoluta illa traditio et utrinque immutabilis, etiamsi concedenda videretur, inter conditiones potius votorum solemnium referenda foret, quam ad essentiam ipsius solemnitatis. Neque in hac re ipse Suaresius cardinem, ut ita loquar, sententiæ suæ constituit.

(1) Cfr Examen historicum et canonicum, etc., p. 16 et seqq.

(2) De Sacramento matrimonii tractatus, lib. VII, cap. VIII, num. 8, edit. Bruxellensis, pag. 423.

Quare Paulus Guéau de Réverseaux, qui summa diligentia universa Doctoris Eximii de statu religioso præcepta collegit et compendio exhibuit, in definienda secundum Suaresii doctrinam votorum solemnitate, non inducit traditionem illam absolutam et immutabilem, sed his utitur dictis : « Votis solemnitas *accidentalis,* inquit (1), et improprie dicta, seu secundum quid, consistit in aliquo ritu externo, non habente effectus morales annexos solemnitati substantiali. Voti solemnitas *substantialis,* seu theologica et canonica, atque simpliciter talis, est qua fit ut votum solemne habeat virtutem efficiendi aliquos effectus morales, quibus caret votum simplex ; » quodsi olim statutum fuerit ut scholasticorum nostrorum matrimonia cassa essent et irrita, id non vi votorum factum fuisse, sed quod, qui in eo statu essent, lege ecclesiastica inhabiles declarati sint ad ineundum matrimonium, ut patrini et matrinæ cum filiastris. Quam sententiam a nemine ante Suaresium propositam fuisse reperi, nisi quod Basilius Pontius, aliis tamen verbis usus, eodem fere tempore quo scribebat Suaresius, eam fuse propugnavit ; postmodum autem paucissimi in eadem abierunt placita,

(1) R.P. Fr. Suarez, Tractatus de religione Societatis Jesu, pag. LV.

et certe nemo (quantum sciam) qui cum aliqua diligentia in hac quæstione versatus fuerit; ita ut a veritate plurimum aberrent qui affirment eam communem sententiam esse, quum sit paucissimorum.

Auctore itaque Suaresio, hoc inter vota simplicia et solemnia intercedit discrimen, quod per hæc religiosus perpetuo et absolute inhabilis fit ad actus omni ex parte validos votis repugnantes, non item per illa; ita ut (nam de paupertatis voto ante omnia cogitandum est) nemo possit simul solemniter professus esse et verum rerum temporalium dominium possidere. Quocirca quum R. V. Bouix hanc doctrinam pro fundamento tractatus sui de jure regularium posuerit, non poterat non ea omnia tradere, quæ sibi in præsenti rerum conditione perquam exitiosa esse arbitrantur regulares et quæ consectaria esse illius principii libenter concessero. Verumtamen labefactavit ipsemet R. V. universum id systema. Postquam enim initio monuit (1) « magnam esse apud doctores contentionem in quo consistat voti solemnitas, » et paucis examinasset doctrinam eorum, qui in benedictione aut traditione hanc solemnitatem constitutam esse voluerunt,

(1) Tractatus de jure regularium, pars. I, cap II, tom. I, pag. 68.

omisisset autem omnino doctrinam nostram, seu potius (ut loco suo apparebit) Medinæ, Vasquesii, Sanchesii, Azorii, Lugonis et multorum aliorum, theologiæ jurisque canonici principum, et Suaresii placita exposuisset potius quam demonstrasset, venit tandem ad « generalem formulam qua determinatur in quo stet trium substantialium religionis votorum solemnitas;» ubi ad inferiorem marginem hæc totidem scripsit verba (1) : « Fatemur theoriam expositam de voti obedientiæ solemnitate haud spernendis objectionibus esse obnoxiam. Ejusmodi objectiones, quas brevitatis causa prætermisimus, videri possunt apud Suaresium (*de Religione,* tomo III, lib. II, c. 13). At vero explicatio illa, etsi non omnino invicte stabilita, qualibet alia (meo quidem judicio) multo probabilior est. Nec parvam ei auctoritatem Suaresius, suam faciendo, addidit. » Ubi animadvertendum est incommoda, in quæ Suaresius incurrit, votum solemne obedientiæ explicans (licet principia, ex quibus profectus est, temperarit hoc loco), communia esse omnibus votis : nam alia non est natura solemnitatis votorum continentiæ et paupertatis, alia solemnitatis voti obedientiæ. Suaresii itaque theoria (venia esto alieno huic vocabulo), fatente R. V.

(1) Ibid., cap. V, not. (1).

Bouix, *non omnino invicte stabilita* est et *haud spernendis objectionibus obnoxia*. Suo quidem judicio qualibet alia probabilior est ; verum quum ejus diligentiam fugerit Medinæ et tot aliorum gravissimorum canonistarum et theologorum sententia, hinc fit ut tanti æstimandum non videatur id judicium. Si enim Sinenses, quibus Anamitarum et Japonum regiones solæ fere cognitæ sunt, imperium suum universi orbis terrarum pulcherrimum dixerint, creabiturne adversus Angliam, Galliam, Italiam et Germaniam aliquod ex hoc pronuntiato præjudicium ? Profecto nullum. Quodsi ita sit, quum R. V. Bouix eamdem viam tenuerit, non videtur alio loco haberi posse ejus auctoritas ; adeo ut id solum ab eo tuto accipi posse videatur « magnam esse apud doctores contentionem in quo voti solemnitas consistat ; et theoriam Suaresii, non invicte stabilitam, haud spernendis objectionibus obnoxiam esse. »

Et quidem quod invicte stabilita non est, ex hoc elucet capite quod nullis argumentis internis aut externis nititur ; sed supponitur votum solemne esse non posse quin morales aliquot effectus producat, ejusque substantiam in his effectibus constitutam esse; quæ deinde suppositio non ex legibus ecclesiasticis stabilitur, sed cum iisdem modo qualicumque conciliatur.

Verum, ut jam animadverterat Gregorius de Valentia, morales illi effectus ipsa solemnitas esse nequeunt. Quod vidit ipse Suaresius : « Licet, inquiens (1), votum, non sit solemne, quia hos effectus habet, cum ipsi effectus posteriores sint ipso voto solemni ; et potius, quia solemne est, ideo illos effectus habeat : nihilominus virtus efficiendi tales effectus, vel illud, quidquid est, unde tale votum vim dirimendi habet et efficaciter impediendi matrimonium, est voti illius solemnitas : nec aliter potest a nobis melius dignosci aut declarari. » Ast quid, quæso, illa « virtus est efficiendi tales effectus, vel illud, quidquid est, unde tale votum vim dirimendi habet et efficaciter impediendi matrimonium ?» Nuspiam id declarat Suaresius ; et, si quid video, virtus illa nil aliud potest esse quam decretum ecclesiæ, quo voluit vota solemnia impedimentum dirimens esse matrimonii : unde dicendum est vel in hoc ipso decreto sitam esse substantiam solemnitatis votorum , vel illud decretum solemnitate posterius esse. Prius a nemine umquam cogitatum fuisse videtur ; posterius cum Medinæ aliorumque sententia convenit.

Deinde, qui hanc doctrinam sequuntur, probam

(1) De Religione, tom. III, lib. II, cap. VI, num. 1.

rationem dare nullam possunt quare scholasticorum et coadjutorum Societatis votum castimoniæ non esset solemne, postquam Gregorius XIII statuisset id deinceps impedimentum dirimens fore matrimonii ; quo argumento usus jam pridem est Thomas Sanchez (1). Ea quidem de causa statuit Suarez vota non posse esse solemnia, nisi sint ex parte religionis et religiosi immutabilia. Verum acceptatio religionis omnino absoluta et immutabilis hic parum aut nihil ad rem facit ; quemadmodum jam monuimus; neque iterum declarandum est.

Sed quod potissime impræsentiarum considerandum videtur, vota professorum Societatis non ita absoluta dicenda sunt, quasi scholasticorum conditionalia sint aut temporalia ex se. Si enim conditionalia forent, non prius obligarent quam impleta esset conditio; verum nullam rem hic in exspectatione esse manifestum est. Neque etiam ex se temporalia sunt ; si enim essent, scholastici religiosi non forent, « quia, ut secundum S. Thomam, Paludanum aliosque recte animadvertit Basilius Pontius (2), votum temporale ex se non potest constituere sta-

(1) Operis moralis in præcepta, tom. II, lib. V, cap I, num. 10.

(2) De Sacramento matrimonii, lib. VII, cap. VIII, num. 8.

BIBLIOTH. PRIVATA
P. PRAEP. GEN. S. J.

tum, sed ad id debet votum esse perpetuum, per accidens autem temporale. » Adde quod, si secus foret, alius esset status religiosus professorum alius scholasticorum : quum illorum firmus esset ex se et per accidens temporalis, horum mutabilis ex se et per accidens perpetuus ; sed unum eumdemque esse statum religiosum norunt docentque omnes. Quodsi scholastici non diutius suis obligantur votis quam Societas eos in sinu suo retinuerit, professi autem ejici quidem possunt, sed votis non liberi dimitti, nihil est : nam a suis etiam votis absolvi possunt professi, si non a Societatis præposito, certe a Romano pontifice ; ita ut horum quoque vota per accidens sint temporalia. Quid, si supremus ecclesiæ antistes auferret a Societatis superioribus potestatem dimittendi scholasticos eamque sibi reservaret; (quo decreto eorum a votis absolutio æque ad se spectaret ac professorum ;) essentne ideo professis accensi scholastici eorumque vota facta solemnia ? Nemo id dabit. Quid, si quemadmodum Romanus pontifex contulit aliquando cardinali legato aut congregationi cuidam cardinalium facultatem absolvendi a votis solemnibus professos, eamdem faceret Societatis nostræ præposito generali, cessarentne eam ob causam professorum nostrorum vota esse solemnia ? Dein Fratres doctrinæ christianæ et multi alii perpetua vota simplicia emittunt,

a quibus liberi non fiunt, etiam quum ex suo instituto ejiciuntur ; fac constitui a Romano pontifice ut hæc vota, quemadmodum olim scholasticorum nostrorum, deinceps sint impedimentum dirimens matrimonii ; eruntne propterea solemnia ? nemo dixerit. Habet certe votum solemne singularem firmitatem, cujus causam inferius explicabimus ; sed ex parte voventis (ut omnes sentiunt, neque ea de re controversia est) simplex et solemne æque perpetuum est, «ex parte autem acceptantis, ut bene tradit Basilius Pontius (1), utrumque temporale est ; quod recte dixit Paludanus in 4, dist. 38, quæst 4, conclus. 11, esse temporale per accidens. Extrinsecum enim voto est, quod alter possit obligationem remittere. Solum ergo possunt differre in perpetuitate extrinseca, quod simplex a prælato Societatis relaxari possit, solemne vero tantum a pontifice ; » ast quæ externa seu accidentalia saut, ea ad naturam solemnitatis nemo recte retulerit.

Habet et aliud gravissimum incommodum Suaresii sententia : necesse est enim ut qui eam tuentur affirment veteres monachos et canonicos regulares solemnibus votis obligatos non fuisse : quod nemo ante extremum sæculum XVI dixerat. Nam, ut suo

(1) Ibid., loc. cit.

BIBLIOTH. PRIVA
P. PRAEP. GEN. S. J.

loco demonstrabimus, non semper et ubique, qui monasticam aut canonicam vitam professi erant, ita vetabantur matrimonia inire et res temporales possidere, ut irrita esset hæc possessio aut matrimonialis contractus.

Ex eadem sequitur sententia votum inserviendi ægrotis non posse esse solemne; item perpetuæ inclusionis; itemque numquam utendi carnibus more Carthusianorum et vescendi semper cibis quadragesimalibus, ut pro suo instituto faciunt Minimi. Nam, quantumvis hæc voveas, non tamen potes neque quisquam alius facere potest ut careas facultate valide agendi adversus hæc vota : quod fundamentum Suaresianæ doctrinæ est. Hinc, ubi venit Doctor Eximius ad Minimorum votum de servanda vita quadragesimali, quod ab illis recte solemne dici alibi ostendemus, nil præter hæc verba habet (1) : « In religione patrum sancti Francisci de Paula, Minimorum appellata, additur in professione quartum votum perpetuæ abstinentiæ quadragesimalis, quod solemne esse indicatur, cum *quartum votum* appelletur. Et ita illud appellant Palacios in 4, dist. 38, disp. 2, Azor d. lib. 12, cap. 6, q. ult. Hoc autem posito, in quo ejus solemnitas consistat, illius in-

(1) De religione, tome III, cap. XIII, num. 22.

stituti professores melius explicabunt. » Verum neque ipsi, nec quisquam alius umquam explicuit quomodo id votum solemne sit, si necesse sit omni voto solemni produci quosdam effectus morales, scilicet infirmitatem actuum, voto repugnantium.

Quid, quod ipso solemni castitatis voto religiosus non inhabilis fit ad actus voto repugnantes, sed ad actum qui cum voto optime consistere potest. Ut enim S. Thomas (1) acute animadvertit, « contractus matrimonii non est contra votum continentiæ, nisi ratione copulæ carnalis; » quare, quum B. Maria Virgo sponsa facta est S. Josephi, licet eam vitæ conditionem jam pridem amplexata esset qua « virum non cognosceret, » non violavit castimoniæ votum; genuinum tamen contraxit matrimonium; ut plerique omnes sentiunt theologi (2). « Quid enim est conjugium, ut cum Hugone a S. Victore, qui post S. Augustinum optime id argumentum versavit, quid est conjugium nisi legitima societas inter virum et feminam; in qua videlicet societate ex pari consensu uterque semetipsum debet alteri?... Spontaneus ergo consensus, inter virum ac feminam legi-

(1) Supplem. quæst. LIII, § 3.

(2) De B. Mariæ virginitate, cap. I, ap. Migne, Patrologia latina, tome CLXXVI, col. 859.

time factus, quod uterque alteri debitorem sui se spondet, iste est qui conjugium facit. Et conjugium est ipsa societas, tali consensu fœderata, quæ, altero vivente, alterum a debito non absolvit. Est adhuc alius consensus, scilicet carnalis commercii ad invicem exigendi atque reddendi, similem inter virum et mulierem pactionem constituens : comes et non effector conjugii, officium et non vinculum, qui et ipse tamen cum pari ab utroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. » Adde conjugatos ad solemnem professionem admitti posse; quoniam castitatis votum cum ipso vinculo seu contractu nuptiali non pugnat. Atque ad hunc contractum valide post solemne votum ineundum inhabilis est professus, nequaquam ad copulàm carnalem habendam : quæ, utut sacrilega et damnabilis, nequaquam tamen actio invalida est.

Idem dic de voto solemni obedientiæ. « Manet enim adhuc, ait Thomas Sanchez (1), dominium voluntatis in professo ad multa valide facienda etiam contra superioris præscriptum : ut, jussus ne absque licentia voveat, aut ne sacra pro aliis faciat, efficiet valide utrumque, etc. »

Quæ res ad sexcenta alia extendi potest; V. G. vetuerit superior in nomine Domini ne subditus suus

(1) Operis moralis, tom. II, lib. V, cap. I. num. 6.

concionetur, ne domo excat, ne cibum extra tempora capiat, ne libros inutiles legat, ne imprudentia colloquia misceat, ne secreta capituli evulget ; et bene multa alia : an idcirco, si contra præcepta hæc agat professus, acta erunt invalida? Vidit id Suaresius, et propterea omnem vim solemnitatis voti obedientiæ constituit in inhabilitate professi ad obligandum se votis aut contractibus, qui irritari nequeant. Verum, quod de votis est, quum hæc irritandi potestas, utpote nixa auctoritate œconomica, pluribus ex jure naturali potius quam ex jure ecclesiastico profecta esse videatur, ad rem non facit ; quum votorum solemnitas de jure sit ecclesiastico. Deinde eadem penes Societatis nostræ superiores est etiam in vota, quæ scholastici præter communia sponte sua facerent ; unde liquet nullum inde exsurgere discrimen inter solemnia vota professorum et simplicia scholasticorum : quodsi iterum urgeas scholasticorum votum obedientiæ ex parte acceptantis perpetuum non esse, redibunt quæ supra in simili argumento jam proposuimus ; atque hic maxime valet quod in multis novis cœtibus vota fiunt simplicia simul et omni ex parte perpetua, et quod horum cœtuum superiores irritare possunt vota, quæ subditi tribus paupertatis, castitatis et obedientiæ votis adderent. Quod autem de contractibus traditur non magis stare potest ; et quidem

potissimum argumentum, quo asseratur superioribus potestas irritandi subditorum contractus, petitur ex jure irritandi vota (1). Sed quum sponsalia ita firma sint, ut solis impuberibus liceat ab iisdem resilire, id nequaquam probabile est. Jure deinde naturali certissime rescindibiles non sunt donationes, acceptæ ab impuberibus; quare necesse non est ut semper et ubique statuatur legibus civilibus omnes contractus initos ab impubere rescindi posse. Quamobrem iis in regionibus, in quibus nunc similis lex obtinet, potest quidem pater impuberis vota irritare, non autem omnes contractus favorabiles. Quocirca ex eo capite quod superior irritare potest vota, ideo tollere non potest reliquas obligationes. Atque in ipsa Societate nostra potest scholasticorum vota, alia quam religionis, irritare, quin possit cassos facere contractus quos de suis bonis, etiam adversus obedientiæ legem, fecissent. Dein contractus de re futura, quos irritos fecerit superior, vel sunt juxta regulam, vel non. Quod si regulæ adversentur, quum jure naturali nullus possit ad rem quamcumque se obligare, quæ peccaminosa sit seu certis suis officiis contraria, religiosi autem officia in regulæ observatione sita sint, manifestum

(1) De Religione, tom. III, lib. II, cap. XIII, num. 8.

est neminem, sive simplex, sive solemne votum obedientiæ fecerit, posse contractus inire qui cum regula pugnent. Præterea manifestum est superiorem præcipere posse secundum regulam; quod jus quum natura et tempore anterius sit illis promissionibus, derogare ei non potest subditus. Si hic itaque tales contractus ineat, non convenientes cum regula, hi vel natura sua nulli sunt, aut certe rescindere eos poterit superior; verumtamen non vi solemnitatis voti obedientiæ, sed propter regulam, potestatem domesticam atque etiam obedientiæ votum, qualecumque id demum sit, simplex an solemne. Ast si contractus nil habeant quod regulæ, voto paupertatis aut aliis officiis adversetur, quis dixerit eos omnes irritari posse a superiore? Fac, legendam mihi dederit Paulus epistolam, quæ ratione materiæ nullius sit pretii, ea conditione, ut postquam legerim fideliter ei reddam; id ubi resciscet superior, poteritne dicere : Irritam ego facio hanc tuam promissionem et jubeo ut ad me hanc epistolam deferas? Fac similiter, Petrus secreto mihi aliquid dixerit; videns autem superior me cum Petro locutum, rescindat meam de secreto servando promissionem jubeatque omnia a me aperiri, poterone id facere? Pone demum me moribundo pollicitum esse me pro ejus animæ refrigerio oblaturum missæ sacrificium : quis dixerit superiorem infir-

mare posse hanc meam pollicitationem et impedire quin ei faciam satis? Hæc adeo manifesta sunt, ut ipse Suaresius (1) admittat posse se religiosum professum obligare naturaliter, « quum sine naturali obligatione vix possit humanus convictus consistere ; » quare vult religiosum, solemniter professum, id solummodo non posse *civiliter,* id est secundum leges positivas. Re quidem vera aliquot sunt leges (2), per quas superioribus licet irritam facere subditorum voluntatem ; ast hæ nequaquam universales sunt, sed spectant ad vitæ monasticæ officia ; quin immo in iis supponuntur actus validi, nisi per leges irriti facti fuissent, ut denuo fatetur Suaresius (3). Quod autem ibidem tamquam generale principium statuitur « Religiosum velle vel nolle non habere, » id non petitur ex solemnitate voti obedientiæ, sed ex traditione, quæ iis quoque, qui simplicibus solummodo devincti sunt votis, communis est. « Si religiosus, inquit Bonifacius papa VIII, (cujus arbitrium non ex sua, cum velle vel

(1) Ibid. num. 7.

(2) In sexto, *de Electione et electi potestate,* cap. *Si religiosus* (lib. I, tit. VI, cap. 27) ; ibid. *de Testamentis,* cap. *Religiosus* (lib. III, tit XI, cap. 2) ; ibid. *de Sepulturis,* cap. *Religiosi* (lib. III, tit. XII, cap. 5).

(3) Ibid. loc. supra cit.

nolle non habeat, sed illius, quem vice Dei supra caput suum posuit et cujus imperio se subjecit, voluntate dependet), etc. » Id omnium est.

Quod si convictus humanus consistere non possit absque obligationibus naturalibus, poteritne cum obligationibus civiliter irritabilibus? Utatur hoc jure superior regularis bis aut ter, ejusque rei fama inter subditos vulgetur : brevissimo tempore domus ejus non speciem Jerusalem, civitatis pacis, sed Babylonicæ confusionis induet. Nil itaque mirum si ante Suaresium nemo vidit « votum solemne obedientiæ nullum peculiarem effectum habere præter obligationem obediendi prælato, quam votum simplex æqualiter inducit ; » quod fatetur ipsemet, inquiens (1) : « Ad hanc difficultatem moderni authores, quos hic et in superioribus allegavi, nihil respondent ; neque huic voto peculiarem effectum moralem attribuunt. » Atque hæc mihi sufficere videntur ut appareat quam recte dixerit R. V. Bouix Suaresii theoriam non invicte stabilitam esse et non contemnendis objectionibus esse obnoxiam.

Licet Suaresii tomi tertius et quartus de Religione nondum editi essent, quum tractatum suum de Sacramento matrimonii in lucem dedit Basilius Pon-

(1) Ibid. num. 4.

tius, vidit tamen ipse pleraque illius sententiæ incommoda, sed verborum potius mutatione quam argumentis aut opinionis diversitate hinc se expedivit. « Observandum est, inquit (1), solemnitatem non aliud esse quam externam actus formam, ritibus et ceremoniis constantem, a personis, locis, temporibusque desumptam. Potest autem dividi in essentialem et accidentalem. Essentialem solemnitatem voco formam, quæ actum aliquem constituat et ab aliis distinguat. Accidentalem autem, quæ (ut juxta regulas dialecticorum definiamus) adesse et abesse potest absque subjecti corruptione. Hæc autem duplex est : quædam ea, quæ appellatur a nobis legitima, sine qua alias actus validus esse posset; at ex voluntate legislatoris necessario adjungenda est; alia autem omnino extrinseca, sine qua actus validus esse potest, etiam secundum voluntatem legislatoris. » Quæ dein explicat exemplo matrimonii; mutua scilicet corporum traditio et acceptio, quæ omni tempore necessaria fuit, ei est loco solemnitatis essentialis; præsentia parochi et duorum testium, a concilio Tridentino præcepta, solemnitas accidentalis legitima; reliqui vero ritus, servari soliti, solemnitas accidentalis extrinseca.

(1) De Sacramento matrimonii, lib. VI, cap. VII, num. 1.

Quæ ubi ad religiosorum vota applicat, traditio, qua quis se Deo consecrat in statu religioso et quæ votis simplicibus æque ac solemnibus perficitur, dicitur ab eo solemnitas essentialis ; ita ut hoc capite scholastici nostri etiam vota solemnia habeant. Solemnitas vero votorum accidentalis legitima « consistit et in perpetuitate extrinseca ex parte acceptantis, scilicet quod prælato sublata facultas sit liberum dimittendi et in illegitimatione, quæ ex lege ecclesiastica accessit aliis votis, qua redditur vovens inhabilis et ad matrimonia ineunda et ad dominia rerum acquirenda; unde, postquam Gregorius XIII de voto castitatis scholasticorum Societatis fecit impedimentum matrimonii dirimens, id votum quod jam solemnitatem essentialem habebat, factum est partim solemne solemnitate accidentali legitima. Verum totus ille loquendi modus adeo discedit a communi, ut licet Pontius diligentissime versatus sit in inquirenda natura solemnitatis votorum, parum tamen luminis nostræ quæstioni affuderit. Quod enim subsidium inde exspectandum est ad dirimendam illam litem, quum passim verba alieno sensu accipiantur, ita ut vota scholasticorum, quæ sine controversia simplicia dicenda sunt, solemnia dicantur solemnitate essentiali, et eorumdem votum castitatis partim insuper solemne solemnitate accidentali legitima? Accedere tamen videtur

Pontius ad Suaresii doctrinam, quandoquidem solemnitas ejus accidentalis legitima proxime repræsentet solemnitatem theologicam seu canonicam illius : quare hic quoque valent pleraque quæ adversus Doctorem Eximium disputavimus. Adde Pontium studiose abstinuisse a definienda solemnitate voti obedientiæ ; in qua potissimum hujus sententiæ difficultates positæ sunt.

CAPUT QUARTUM.

VOTORUM SOLEMNITATEM CONSISTERE IN INTERVENTU ECCLESIÆ, EADEM SINGULARITER AUCTORITATE SUA CONFIRMANTIS.

Sed quid in tot ambages se conjecerunt gravissimi theologi? Quidni, ut Vasquesii et Sanchesii verbis utar, de solemnitate votorum philosophati sunt, quemadmodum de contractibus solemnibus, de testamentis solemnibus et de tot aliis actibus, qui solemnes dici solent, quotusquisque disserit et disputat? Id enim solemne est quod vim habet non a privata solum persona, verum etiam ab auctoritate

publica, sive hæc interveniat per personam publicam, sive per certos ritus et ceremonias, quæ jure naturali necessaria non sint; ita ut actus sub singulari custodia reipublicæ positus sit, quoniam hæc in ejus confectione partem habuit. Exemplo rem explicemus. Testamentum facere licet privatum; quod quando fit, lege civili præscribitur ut clare significetur testamentum seu ultimam voluntatem esse; ut totum scribatur propria manu; ut subsignetur; et demum ut dies et locus scriptionis indicetur; quæ omnia ipsa rerum natura requiruntur, ut innumeris abusibus, dubitationibus et litibus non relinquatur locus; ita ut fas sit reipublicæ magistratibus decernere irritum fore testamentum si aliquid ex his desit. Quodsi ei intersint multi testes atque etiam magistratus, si tamen id non confirment auctoritate publica, testamenti forma non mutabitur, sed privatum seu simplex testamentum remanebit. Verum si auctoritas publica interveniat, certos præscribens ritus, testium numerum exigens et præsentiam notarii publici; tum testamentum non solius testatoris actus est, sed partem in eo habet ipsa respublica; adeo ut ejus intersit curare ne ultima testatoris voluntas defraudetur, non solum quoniam jurium civilium communis protectrix est, sed quoniam eximia ratione sub suum sumpsit præsidium testantis actum, quum ei auctoritate sua

adfuit eumque confirmavit. Idem dic de contractibus. Votorum itaque solemnitas nil aliud est quam modus observandus ut ecclesia auctoritate sua hæc vota confirmet ; si autem hic modus non servetur aut ecclesia etiam, quum iis nuncupandis intersunt prælati ecclesiastici, quacumque ratione protestetur se hæc vota non admittere ut solemnia aut sua auctoritate non confirmare, simplicia erunt. Quemadmodum autem testamenta et contractus solemnia non latius patent quam privata, sic vota solemnia non majoris sunt extensionis quam simplicia ; quare vi solemnitatis nulla additur nova obligatio et vota solemnia et simplicia specie neutiquam inter se differunt. Si quid autem accedat votis solemnibus, quod in simplicibus non continetur, id non oritur ex votis aut ex solemnitate, sed ex lege proficiscatur oportet, quæ votorum solemnium constitutione posterior sit ; ita ut vota possint esse solemnia, quin hæc lex existat aut servetur.

Deinde, quemadmodum testamenta et contractus solemnia singularem firmitatem accipiunt ex auctoritatis publicæ interventu, sic etiam vota solemnia ex ecclesiæ confirmatione. Quod ut clarius pateat, fac duos feudatarios inter se contractum inire ; is firmitatem habebit quæ omnibus contractibus propria est ; sed si intercedat supremus dominus atque hic auctoritate sua contractum confirmet, ne

recedere quidem poterunt contrahentes a pactis conventis, nisi ille annuat; quodsi absque ejus consensu fecerint, irrita erit contractus rescissio : tantum scilicet valere potest interpositio superioris potestatis, auctoritate sua hominum actus approbantis et sub singularem suam custodiam recipientis !

Sequitur hinc etiam ecclesiæ speciarium jus esse cogendi eos, qui solemnia vota nuncuparunt, ut ea rite observent : quod jus non oritur ex generali tantum illa auctoritate, qua fideles omnes cogere potest ut officia sua fideliter adimpleant et quo viros, simplicibus votis obligatos, non impune sinit a sacris promissionibus suis recedere; verum etiam ex alio præterea capite, quod solemnia vota confirmavit eaque coram Deo et hominibus sub suam tuitionem admisit.

Nil itaque mirum est, si ecclesia permittere non possit ut vota solemnia, quæ auctoritatis suæ interpositione summaque religione peracta sunt, tam facile solvantur quam simplicia, quorum emissionem nude toleravit aut saltem non confirmavit et eximia quadam protectione circumdedit.

Hinc intelligitur quam recte definierint Bonifacius VIII et Gregorius XIII « voti solemnitatem ex sola constitutione ecclesiæ esse inventam ; » et qua ratione (quemadmodum id etiam in contracti-

bus et testamentis obtinet) sexcenti possint esse modi, quibus hæc solemnitas perficiatur : ita ut qui ritus in uno ordine sufficiat, nil valeat in alio, quoniam in ecclesiæ arbitrio est significare quando et quomodo auctoritatem suam interponere velit et vota confirmare. Nec quidpiam imprimis difficultatis habet professio, quæ dicitur tacita atque olim frequentissimi erat usus, nunc autem in duobus adhuc casibus valida est : unus est, si quis, expleto anno novitiatus et decimo sexto ætatis, habitum professorum, a novitiorum habitu distinctum, assumat et per tres dies publice gerat; alter, si ultra annum integrum probationis, qui annus debet incohari post decimum sextum ætatis completum, habitum religionis indistinctum gerat patenter, suffragium in capitulo ferat aliosve actus professorum faciat. Verumtamen in utroque casu necesse est ut prælatus sciat et non dissentiat; atque ea vera est admissio et nomine ecclesiæ confirmatio, quum qui tacet consentire videatur. Hæc olim multo latius patebant et paucioribus regebantur conditionibus; attamen vera intercedebat ecclesiæ confirmatio, licet hæc tacite fieret.

In Societate autem nostra vix aut ne vix quidem fieri potest professio tacita; quoniam quum alii vota simplicia habeant, alii solemnia, atque in hac re magna pars ejus roboris posita sit, necesse fuit ut

dictinctio pateret et dubiis præcluderetur ostium. Quare modus faciendi vota solemnia accurate definiendus erat. Alia itaque est forma votis scholasticorum mere simplicibus; alia coadjutorum formatorum simplicibus et simul publicis; alia demum professorum, quæ sunt solemnia. Non est quod has formulas hic recitem, quippe quæ sint passim obviæ. Sed siquis eas consideret, non poterit non videre plura in eis esse verba, quæ ad augendam pietatem sint addita; sed quæ eo fine inserta sunt ut discrimen inter vota indicaretur, hæc necessario conservanda sunt, ne professio nulla sit aut dubia.

Ritus item valde sunt diversi, scholastici non solent vota sua in templo publico facere, sed in sacello domestico; et quum ea ante communionem emittunt, sacerdos ad eos non convertitur, sed ad altare, ita ut ne eos quidem videat, sed audiat tantum. Coadjutores formati in emissione votorum ritus usurpant in exterioribus persimiles iis, qui a professis observantur; sed ea de causa tanto apertius decernitur illa vota neque emitti, neque acceptari ut solemnia : ita ut adsit sacerdos, quicumque delegatus est, tamquam votorum testis, et ut voventem ad gradum coadjutorum nomine Societatis admittat; nequaquam ut ejus vota ecclesiæ auctoritate confirmet.

Verum hæc tam manifesta sunt ut ii, qui norint quid sint contractus et testamenta simplicia aut privata et quid solemnia, me forte incusaturi sint quod rem luculentissiman luce affundere tentarim.

CAPUT QUINTUM.

SOLEMNITATEM VOTORUM IN CONFIRMATIONE ECCLESIÆ POSITAM ESSE DEMONSTRATUR SIGNIFICATIONE COMMUNI ET JURIDICA VERBI SOLEMNIS ATQUE HISTORICIS EXEMPLIS.

Ut autem illius definitionis nostræ demonstrationem jamjam aggrediar, non possum cum Medina (1) imprimis non mirari viros, alioquin doctos et in theologica et juridica palæstra egregie versatos, in

(1) De sacr. hom. cont. lib. IV, controv. 38, cap. VII, p. 377.

tam varias abiisse de natura solemnitatis votorum sententias, quum ipsum nomen solemnitatis tam manifeste ostendat qua in re constituta sit. Lexica profer omnium linguarum, quibus verba sunt ad indicandam solemnitatem juridicam. In Lexico academiæ francicæ, ultimum edito, hæc legimus : « Solennité. Cérémonie publique qui rend une chose solennelle. Il se dit aussi des formalités qui rendent un acte solennel, authentique. *La solennité d'un testament, d'un serment.* — Solennel, signifie aussi, authentique, revêtu de toutes les formes, accompagné des formalités requises. » In Trivultiano anni 1771 : « Solennité, se dit... des formalités et procédure établies par les lois, pour rendre un acte valable, authentique et qui fasse preuve en justice. *Legis formulæ, vel actiones præscriptæ.* — Solennel, signifie... en jurisprudence authentique, revêtu de toutes les formalités. *Firmissima autoritate comprobatus, authenticus.* Un testament solennel en droit écrit, doit être attesté de sept témoins et cacheté avec leurs sceaux. Un mariage *solennel* doit être fait devant son propre curé, en présence de témoins et après publication de bans. Un acte *solennel* est celui qui est signé de notaires et scellé. » In Lexico jurisprudentiæ, quod anno 1782 typis Pankouckii prodire cœpit : « Solennel, adj., se dit *en droit* de ce qui est revêtu des formes les plus authentiques. Un acte *solennel* est

celui qui est passé devant un officier public, avec le nombre des témoins requis.. On entend quelquefois par testament *solennel* tout testament reçu par un officier public, à la différence du testament olographe qui est écrit de main-privée. » In Lexico breviato academiæ Hispanicæ, anno 1826 Parisiis edito : « Solemne,... que se hace en publico con aparato y ceremonia. Solemnizar... autorizar alguna cosa. » In Lexio gallico et hispanico de Séjournant « Solennel, t. de palais. Authentique, revêtu de toutes les formalités. *Solemne, con toda formalidad authentico* ; in lusitanico Raphaelis Bluteau et Antonii de Moraes Silva : « Solemne... *Voto solemne*, o que se faz em face de Igreja com as formalidades canonicas. *Acto solemne*, authentico, revestido das formalidades requeridas. » In anglico Boyer : Solennité jurid. authenticity. » Demum in germanico Joachimi Campe : Solennisiren durch gesetsliche Feierlichkeiten bestätigen. »

Quid autem certius quam quod in jure Romano solemnitas certa observatio verborum sit, personarum vel temporis, auctoritate publica præstituta? Lege bene multa loca in Lexico magno juris Joannis Calvini, verbis *solemne, solemnitas, solemniter*.

Deinde, verba sunt Medinæ: «Quid solennitas voto conciliet, nisi jam res in pertinacem disputationem cruduisset, ex aliarum rerum, immo ex ipsorum

sacramentorum solennibus videri potuisset. Profecto in reliquis aut actionibus humanis, aut sacramentis nihil ad substantiam pertinens solennitas addit; sed, ut recte inquit Durandus, decorem quendam aut, ut plurimum, auctoritatem quandam. Hoc in baptismo, hoc in confirmatione, hoc in eucharistia, hoc demum in ipso matrimonio, quod proxime ad voti solennis naturam accedit, facile est videre ; in quibus nihil profecto substantiale, nullamque majorem firmitatem aut robur solennitas addit. »

Quid? quod in ipso jure canonico locus valde insignis est Innocentii papæ III, ex quo non solum discitur quid sit aliquid solemniter agere, sed quid *solemniter votum emittere :* « Per tuas nobis, inquit (1), literas intimasti te in Gratianopolitana ecclesia suscipiendi habitum regularem *votum solemniter emisisse* et postea promisisse in manibus prælati (episcopi) ejusdem ecclesiæ te intra duos menses, postquam ab apostolica sede rediisses, votum quod emiseras impleturum. Cumque termino ipso transacto non curasses quod voveras adimplere, tandem, exsistens voti transgressor, vocatus fuisti ad regimen ecclesiæ Gebennensis : nos igitur tuæ discretioni consulimus ut, si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes ecclesiæ memoratæ ac red-

(1) Cap. *Per tuas,* de voto (lib. III tit. XXXV, cap. 10.)

das Altissimo vota tua. Quod si capitulum ejusdem Gebennensis ecclesiæ te postmodum canonice duxerit eligendum, electionem recipere poteris de te factam. » Ubi manifestum est quemadmodum consentiunt veteres et recentiores interpretes, votum id dici *solemniter emissum*, quod a persona publica, scilicet ab episcopo aut abbate, acceptum seu in ejus præsentia factum erat; neque alia excogitari potest causa. Certe nulla ex hoc voto orta est impotentia, neque dixit Romanus pontifex irritam fuisse sedis Gebennensis occupationem; contra suadet episcopo electo ut *resignet* sedem; quæ resignatio sine acquisito jure esse non poterat; atque eadem de causa non jubet pontifex, sed hortatur, « si tuam, inquiens, desideras sanare conscientiam. » Neque dici potest hic agi de solemnitate accidentali, non vero de essentiali seu substantiali : prius enim demonstrandum esset uspiam in jure recepta esse duo solemnitatum genera; quod a nemine factum sit, nisi supponendo id ipsum de quo laboratur.

Neque alia desunt exempla, quibus perficitur id votum stylo ecclesiastico dici solemne, quod intercessione magistratus ecclesiastici factum sit.

Crucis susceptioni ab initio rationem voti infuisse ostendit Paulus Antonius Paoli (1) ex Guiberto de

(1) Dell'origine ed istituto del sacro militar ordine di S. Giovambattista Gerosolimitano, pag. 97.

Novigento (1), ex epistola patriarchæ et sociorum post victoriam (2), ex literis Boemundi ad Urbanum papam II (3), ex narratione Hugonis in Chronico Virdunensi de concilio Ansano (4) et ex aliis monumentis; neque ille dubitat id votum solemne appellare. Recte. Scilicet, quum anno 1195 Hubertus, archiepiscopus Cantuariensis, efflagitasset a Cælestino III papa consilium de his qui, cruce accepta, domi remanerent, responsum pontificium cum officialibus archiepiscopatus Eboracensis publicis literis communicavit; in quibus hæc inseruit verba: « Quoniam igitur vovere et non reddere periculosum est, cum ex votis, *quæ solemniter emissa fuerunt*, non impletis, consequens sit et Dominum offendi et nihilominus in domo ejus scandala suboriri, etc. » Neque aliter priscus juris canonici consultus, Guilielmus Redonensis Ord. Præd.; qui quum definivisset votum solemne id esse, « cui notificatio » facta magistratui publico, qui acceptet, « vel expressio » seu significationis forma, quæ « de jure vel de consuetudine introducta, adhibeatur, » solemne dixit votum Terræ sanctæ, emissum « per susceptionem

(1) Hist. belli Hierosol. lib. III, cap. 5, num. 9, pag. 392.

(2) Apud Eccardum, Corpus hist. medii ævi, tom. II, pag. 256.

(3) Apud Baluze, Miscellanea, edit. Mansi, t. III, p. 60.

(4) Labbe, Biblioth. mss., t. I, p. 254.

crucis, » a legato pontificio impositæ, cum eximiis ritibus, quæ in Ceremoniali Romano leguntur.

Aliud exemplum in promptu est. Anno 1469 initium dedit Ludovicus XI, rex Francorum, ordini equestri S. Michaelis, quod aurei velleris militiam imitaretur et cujus præcipua sedes esset in Monte Tumbæ prope Abrincas. Mutavit postea sententiam et in additamentis ad statuta ordinis die 22 decembris anni 1476 declaravit semet voto devinxisse ad erigendum capitulum in capella S. Michaelis, quod in palatio Parisiensi esset, et biduo post dedit diploma quo hæc fundatio fieret et caput esset novæ militiæ. Verum id ipse perficere non potuit : quocirca anno 1496 Carolus VIII, ejus filius et hæres, convenit literis Alexandrum papam VI, postulaus ut novum institutum et maxime capituli leges confirmarentur auctoritate apostolica. Assensit Alexander et in constitutione, quam idibus novembris illius anni ea de re dedit, recensens quæ a Ludovico XI facta fuerant : « Deinde, inquit (1), pro augmentatione et magnificentia dictæ militiæ regalis, *votum emisit solemne* aeternæ Trinitati... de erigendo seu erigi faciendo per Romanum pontifi-

(1) Raynaldi, Continuatio annalium Baronii, ad an. 1496, num. 30 ; item Leibnitz, Codex diplomaticus, tom. I, part. I, pag. 476.

cem... unum collegium virorum ecclesiasticorum; » ubi votum solemne a rege factum esse dicitur, quod id in manibus prælati acceptantis et confirmantis emissum fuerat.

Ecce et aliud exemplum, quod ex S. P. N. Ignatii ejusque sociorum gestis excerpimus. Ferebant jam pridem ecclesiæ leges ut nemo ad majores ordines promoveri posset, quin beneficium ecclesiasticum aut patrimonium haberet, unde honeste viveret (quod argumentum egregie explicuit Berardus (1), nisi voto solemni paupertatis esset obligatus. Indecorum enim censebatur viros, ad altare stantes, aut mendicato aut vulgari opificio vivere; donec Mendicantibus ordinibus via patefacta est per vesana plurium molimina, ita cleri luxum et divitias vituperantium ut ejus etiam auctoritatem abjicerent et in schismatis voraginem ruerent. Tum scilicet accessit mendicitati honestas aliqua, et licentia facta ut ii, qui solemniter paupertatem professi essent, episcopalium manuum impositione sacrari possent, etiamsi neque patrimonium haberent, neque beneficium. Quotidianus hujus rei usus erat in Mendicantium cœnobiis; sed ei quoque locum fuisse extra religiosa claustra, etiamsi ordi-

(1) Commentarium in jus ecclesiasticum universum, tom. II, app. ad dissertationem VII, pag. 261 et seqq. Venetiis, 1779.

nandi nullam regulam, a sede apostolica confirmatam, sequerentur, ex diplomatibus (1) manifestum est, quæ S. Ignatio ejusque sociis Venetiis data sunt, quum die 10 junii anni 1537 ad quatuor minores ordines, die 15 ad subdiaconatum, biduo post ad diaconatum et die 24 ad presbyteratum a Vincentio Nigusano, episcopo Arbensi, promoti sunt titulo sufficientis scientiæ ac voluntariæ paupertatis, « sic dispensante reverendissimo Domino D. Hieronymo Verallo, sacri palatii causarum auditore et in toto Venetiarum dominio cum potestate cardinalis legati de latere legato apostolico : in cujus manibus dictus Ignatius de Loyola (et similiter ejus socii) *paupertatem vovit perpetuam solemnitatibus, in similibus observari solitis, debite observatis.* » Nil dubii est quin ibi agatur de voto paupertatis solemni ; dicitur enim S. P. « paupertatem vovisse perpetuam solemnitatibus, in similibus observari solitis, debite observatis ; » neque satis erat, simplici voto ad paupertatem colendam obstrictum esse ut ordinibus sacris initiari liceret, nisi beneficium haberetur aut patrimonium, quod jure communis mensæ suppleri aliquando poterat ; sed necesse erat ut solemnis paupertatis professio

(1) Acta SS. tom. VII Julii, pag. 456 et 457.

fieret. Præterea animadvertendum est S. Ignatium de Societate Jesu condenda tunc quidam cogitasse, sed nil adhuc molitum fuisse, quum triennio tantum post ad id ei potestas facta sit a Paulo III papa : ita ut tum ipse, tum socii omnino singulares essent nulloque vinculo, nisi spiritalis amicitiæ et eorumdem studiorum, inter se colligati. Voto autem illo intercludebant sibi omnem ad divitias aditum et ad vivendum eleemosynis tenebantur ; quotidianis, si ita suaderet amor crucis et nil obstaret ; diuturnioribus, si provida futuri opinione aliquid seponendum videretur ; quas vero eleemosynas in dies acciperent aut in futurum reservarent, eæ profecto ipsorum erant et in eorum arbitrio positæ, hac lege ut nil inde facerent quod a vita pauperis, honesti tamen sacerdotis, alienum esset : ita ut solemnis eorum voti res in primo, quem dicunt, paupertatis gradu (*a*) consisteret, quem olim S. Anto-

(*a*) Quum sæpius deinceps sermo futurus sit de paupertatis gradibus, neque hæc res omnibus forte perspecta sit, placet eam brevibus declarare.

Primus gradus est, quum quis, relictis post se rebus fere omnibus, rei tantummodo moderatæ dominium et usum sibi retinet ; unde gradus iste excessum solum procul abjicit, tamquam Christi consilio adversum : paupertatem propterea secundum primum gradum voventi res ad suam conservationem

nius, S. Hilarion aliique professi erant, tenuiter viventes, aliquid tamen semper habentes proprii idque pro libitu suo dispensantes. Et quidem, licet tunc temporis quotidianum victum suum mendicabant Societatis nostræ parentes, peculium tamen non spernendum habebant ; quippe qui a Paulo papa III sexaginta nummos aureos acceptarant et ab Hispanis aliquot etiam copiosiorem pecuniæ ra-

necessarias habere eisque ceu propriis uti concessum est. In hoc gradu consistebant pristini eremitæ.

Secundus gradus est, qui, licet rerum dominium non expellat, neque etiam vi voti annexi statim auferat, usum tamen rei tamquam propriæ non admittit ; nec qui ita vovet, quamvis dominus et herus sit, rebus suis pro arbitrio licite uti potest. Hunc gradum occupant scholastici nostri ante bonorum abdicationem.

Tertius gradus est, qui, quamvis ex vi voti adjuncti dominium quodcumque excludat, privetque hominem usu rei ut propriæ, dominii tamen capacitatem secum patitur ; unde fit ut qui secundum hunc tertium gradum paupertatem voto amplectitur, dominii tantum capax sit, nullum tamen penes se habeat, sicut neque usum rei propriæ. Is est gradus nostrorum scholasticorum post bonorum abdicationem.

Quartus denique gradus est, quo tollitur non solum omne privatum dominium, verum etiam jus et capacitas id adipiscendi. Bifariam in eo consistitur: alii, puta Capuccini et Observantes, nil, etiam communiter, possident ; alii, quo numero censentur nostri professi et coadjutores formati, possident communiter.

tionem ; ita ut penes eos essent ducati ducenti decem. Hæc pro itinere Hierosolymitano ; quod quum perficere non potuissent, reddiderunt postea Hispanis acceptos aureos; nil tamen summo pontifici, qui pridem noverat viam apertam non fore, neque datum subsidium sibi restitui voluisset (1). Quo exemplo non solum manifestum est id votum solemne esse quod auctoritate magistratus ecclesiastici emittitur, verum etiam votum paupertatis solemne esse posse quin dominii impotes fiant ejus professores. Hactenus de significatione voti solemnis, quatenus ex universali verborum vi et ecclesiastico usu eam deducere licet.

(1) Vide de his Vitam S. Ignatii, ab ipsomet dictatam, et alteram, scriptam a Ribadeneira, Acta SS. tom. VII, Julii pag. 652 et 653, pag. 680 et 681.

CAPUT SEPTIMUM.

SOLEMNITATEM VOTORUM IN CONFIRMATIONE ECCLESIASTICA POSITAM ESSE OSTENDITUR EX VI VOCABULI, QUUM VOTA SIMPLICIA ET SOLEMNIA PRIMUM DILIGENTIUS DISTINCTA SUNT.

Sed veniamus ad sensum, qui verbis illis inerat, quum primum vocabula *simplex* et *solemne* de votis cœperunt a jurisconsultis et theologis usurpari et quæstio fieri de validitate matrimoniorum, quæ post continentiæ votum attentarentur. Ineunte sæculo XII nemini catholico videtur fuisse dubium, quin vota monastica impedimentum esset matrimonii

dirimens; quod ex Abælardi Introductione ad theologiam, ante annum 1120 edita, constat : « Alter (scilicet magister quidam divinorum librorum in Burgundia), alter quoque, inquit (1), totidem erroribus involutus, tres in Deo proprietates, secundum quas tres distinguuntur personæ, tres essentias diversas ab ipsis personis et ab ipsa divinitatis natura constituit... Monachos autem atque monianiales, post publicum etiam suæ professionis votum et benedictionis vel conseerationis vinculum, posse matrimonium contrahere, ubi licet sit voti transgressio, nulla tamen fiet initæ copulæ separatio : sed in ipso permanentes matrimonio de transgressione pœnitentiam agunt. » Tunc itaque temporis hæretica videbatur Abælardo sententia dicentium votum publicum seu solemne monachorum et monialium non esse impedimentum dirimens, sed tantum impediens matrimonii.

Eodem circiter tempore Hugo a S. Victore, quærens « quæ personæ devotæ videantur posse facere conjugium et quæ non, » respondit (2) : « Virgines devotæ, postquam ab episcopo sunt consecratæ et

(1) Introductio ad theologiam, lib. II, cap. VII, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CLXXVIII, col. 1056 et 1057.

(2) Summa sententiarum, tract. VII, cap. X, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CLXVI, col. 162 et 163.

viduæ velatæ nullo modo possunt facere conjugium... Virginibus autem non velatis, quamvis voto se ad continentiam astrinxerint, videtur Innocentius (papa I) concedere in conjugio, post votum inito, remanere... De viduis autem non velatis non habemus certam auctoritatem, quæ illas in conjugio, post votum inito, remanere prohibeat vel permittat. De viris autem, qui voverunt continentiam, sic est observandum, ut, si effecti sint eremitæ, sive monachi, sive clerici, nullo modo liceat eis post votum inire conjugium. De laïcis autem, qui votum faciunt nec assumunt religionis habitum, dubitatur an possint facere conjugium. » Quo loco agere doctissimum virum de impedimento dirimente matrimonii, demonstrat universa oratio. Alibi (1) autem investigans « quid sit votum et vovere, » prius agit de quinque modis, quibus mens agenda tractat, scilicet de cogitatione, de voluntate seu oblectatione, de deliberatione seu proposito, de promissione demum et voto ; deinde sic pergit : « Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ ad solum Deum et ad ea quæ Dei sunt magis proprie refertur. Vovere siquidem est testificatione promissionis

(1) De Sacramentis, lib. XII, cap. II et III, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CLXXVI, col. 520 et 521.

spontaneæ Deo se obligare ac debitorem statuere. Nam qui promittit, simpliciter spondet se facturum aliquid ; qui vero vovet, contestatur promissioni suæ et affirmat ipsam promissionem : ubi in quantum est promissio, tenetur ; in quantum est contestatio, obligatur. » Quæ verba si recte intelligo, promissio et votum differunt eadem ratione ac promissio et stipulatio ; ita ut qui promissa violet, peccet contra fidelitatem ; qui votum, contra justitiam. Cave tamen ne credas Hugonem sensisse, quod apud theologos sæculi XVI aut XVII reperi, scilicet, votum simplex nudam promissionem esse ; solemne stipulationem. Plura enim *vota* nuncupat Hugo, quæ numquam nisi privatim concepta fuerunt. Sed eum ipsum pergentem sequamur : « Votorum autem, ait, aliud occultum est, ad Deum et coram Deo ; aliud manifestum, ad Deum, coram homine. Occultum votum fractum, peccatum est ; manifestum autem votum fractum, peccatum et scandalum. » Deinde religionis qualecumque votum indispensabile habet, quod nulla res ei æquiparari possit.

Post annum 1131 (nam sub id tempus scripsit S. Bernardus opusculum de Præcepto et dispensatione) nil dubitabat sanctissimus Clarævallis abbas quin, qui habitum monachalem pie suscepissent, ad validum matrimonium contrahendum inepti essent ; nescius tamen quomodo S. Gregorii Magni et S. Au-

gustini, quæ objiciebantur verba, accipienda forent ; et simul cavens ne oppositam opinionem inter hæreses referret. Accipe locum (1): « Item postulatis absolvi vobis cur vel beatus Gregorius nescio quem Venantium habitum monachalem, quem pie susceperat impieque rejecerat, non solum resumere non coegit, sed etiam omnem legitur indulsisse communionem apostatæ perduranti (2), vel sanctus Augustinus conjugii legi votum quodammodo subjiciat continentiæ : ita ut in libro de Virginitate asserere videatur, nec cælibis quidem vitæ propositum copulæ posse præscribere conjugali, quominus indissolubile maneat, etiam quod a continentibus, fallente diabolo, fracto sanctitatis voto, initum fuerit matrimonium. Et ad hæc nihil ad præsens certius breviusque respondendum occurrit, nisi quod ita sancti antistites sapuerunt : rectene? ipsi viderint. Nam ego in sensibus actibusque illustrium patrum cautus profecto sum omnino non aliud æstimare, quam quod, beato apostolo teste, quæritur jam inter dispensatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur (3). Certus sum enim, sive in suo

(1) Lib. I de præc. et disp. cap. XVII, ap. Migne, Patrologia latina, t. CLXXXII, col. 888 et 889.

(2) Lib. I, epist. 33 ; lib. IX, epist. 25 et 31.

(3) I Cor. IV, 2.

abundaverint sensu, sive in Dei spiritu, sicut et in cæteris, ita et in his ambos exstitisse fideles, illum in dispensando quod præ manibus erat, istum in scribendo quod senserat. »

Verum his sanctorum patrum locis non potuerunt non commoveri Abælardi, S. Bernardi et plurium aliorum mentes. Quare Abælardus in collectione sententiarum, ab eo *Sic et non* appellata, ut in codicibus mss legitur (1), et ante annum 1139, quo Guilielmus de S. Theodorico ejus meminit (2), conscripta, capiti CXXII titulum dedit : *Quod omnibus nuptiæ concessæ sint et contra;* in quo quæ legibus continentiæ sacrorum virorum favere, et quæ adversari viderentur, diligenter congessit, nullo modo viam ostendens ea inter se conciliandi : quod alibi passim summa imprudentia fecit. Similiter S. Bernardus pluribus videtur circa idem tempus nonnihil dubius esse factus de matrimonio illius, qui, relicto religionis habitu, nuptias contraxisset. Etenim ab abbate canonicorum S. Petri de Monte in pristina diœcesi Tullensi hac de re interrogatus, respondit in hæc verba (3): « Periculosum quidem est et for-

(1) Ap. Migne, Patrologia latina, t. CLXXVIII, col. 1331.

(2) Inter epist. S. Bernardi, epist. CCCXXVI, ap. Migne, Patrologia latina, t. CLXXXII, col. 532.

(3) Epist. LXXVI, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CLXXXII, col. 190.

tassis illicitum hominem post diutinam in domo et habitu religionis conversationem ad sæculum rediisse; quique prius, et adhuc priore uxore sua vivente et consentiente, fortissime ac diutissime continentiam tenuit, secundis rursus amplexibus se ineptissime atque inhonestissime implicuisse. Quia tamen publice ac solemniter, juxta morem cæterorum hominum et sine querela vel calumnia, ipsum qualecumque conjugium celebratum fuit, non nobis videtur tutum illum illam non consentientem dimittere, nisi prius episcopalis auctoritatis vel consilio fretum vel imperio aut certe ecclesiastico canonicoque judicio. Quoniam vero hoc tam grande hominis periculum ad te nimirum non minima ex parte respicere credimus (ex eo quippe quod volentem ac flagitantem suum confirmare propositum, nimis suscipere distulisti, occasione sumpta, diabolus in hæc eum mala præcipitavit), omnino ex charitate suademus et consulimus ut quacumque industria, quocumque sumptu vel labore potes, miserum omni modo satagas liberare : conveniendo scilicet aut mulierem, ut illum sponte dimittat et continentiam promittat ; aut episcopum, ut ambos vocari jubeat, et, quod recto posse fieri credimus judicio, separet. » Quam intricata sit hæc epistola ante oculos positum est. Arbitrabatur sanctus vir professionem tacitam factam fuisse per « tam diuti-

nam in domo et habitu religionis conversationem ;» (de qua tamen re jure ambigi potest, quoniam quum volentem propositum suum confirmare suscipere distulisset abbas, ægre intelligitur fieri potuisse tacita admissio ;) sed arbitrabatur validam fuisse professionem S. Bernardus, ideoque matrimonium judicio canonico separari posse, etiamsi mulier non consentiret ; sed alia ex parte non videbatur ei tutum si id fieret absque episcopi consilio ; quin etiam audet tantum « periculosum et fortassis illicitum » dicere illius viri facinus.

Quum ea itaque conditione res essent, dubia omnia sustulit Innocentius papa II in concilio Lateranensi, anno 1139 celebrato. In canonibus scilicet VII et VIII legitur (1) : « Ut autem lex continentiæ et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur : statuimus quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici et monachi atque conversi professi, qui, sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non

(1) Labbe, Collectio conciliorum, tom. X, col. 1003 et 1004.

esse censemus. Qui etiam, ab invicem separati, pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Idipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si quod absit, nubere attentaverint, observari decernimus. » Qui canones capite VII concilii Remensis, anno 1147 ab Eugenio papa III habiti, renovati fuere.

Scripseritne ante an post hæc concilia cardinalis Robertus Pullus dicendo non sum ; sed certe coævus fuit, qui, Eugenio III papa, diem obierit. Quidquid id est, nil dubitans scripsit (1) : « Statuta ecclesiæ eos a conjugio arcent, quorum aut habitus (seu professio tacita), aut castimoniæ votum testimonio ac judicio ecclesiæ confirmatum exigit... Et hæ quidem causæ sunt quare personæ quædam matrimonio convenire nequeant ; et si conveniunt, judicatur omne irritum, postquam fuerit compertum. » Quo loco a vocabulis *publicum* et *manifestum*, quorum alterum Abælardus, alterum Hugo a S. Victore adhibebat, abstinet; itemque a vocabulo *solemne*, quod nondum erat in usu ; sed votum castimoniæ dicit, *testimonio ac judicio ecclesiæ confirmatum*, idque impedimentum matrimonii dirimens esse docet.

Florebat eodem tempore Petrus Lombardus, qui

(1) Sententiarum liber VII, cap. 26, ap. Migne, Patrologia latina, tom. CLXXXVI, col. 953 et 954.

et Magister sententiarum. « Sciendum vero, inquit (1), quod votorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud quod in baptismo omnes faciunt... ; singulare, ut cum aliquis sponte promittit servare virginitatem... Idem singulare votum, aliud est privatum, aliud solemne. Privatum est, in abscondito factum ; solemne vero, in conspectu ecclesiæ factum. Item privatum votum si violetur, peccatum est ; solemne vero violare peccatum et scandalum est : » quæ verba ex Hugone de S. Victore excerpta fuerunt ; ita tamen ut quæ hic *occulta* appellat et *manifesta* dicit, Magister *privata* appellet et *solemnia;* posterius hoc verbum forte mutuatus ex Regulis majoribus S. Basilii, in quibus legitur (2) « apostatam in Deum peccare, quem professionis suæ testem adhibuerit, cuique solemni se voto obligarit. » Sed ad Magistrum redeundum est : « Qui privatum faciunt votum continentiæ, matrimonium contrahere non debent ; quia contrahendo mortaliter peccant ; si tamen contraxerint, non separentur, quia probari non potest, quod occulte factum est. Qui vero solemniter vovent, nullatenus conjugium inire queunt. »

(1) Sent. lib. IV, dist. XXXVIII, cap. 2.
(2) Regula 14.

Magister Bandinus, qui « abbreviasse fideliter librum Sacramentorum Magistri Petri Parisiensis » legitur in codice Altatiæ superioris (1) : « Votum singulare, inquit (2), aliud est privatum, ut quod in abscondito vel sine solemnitate fit ; aliud solemne, ut quod solemnitatem habet : quod facit prædictus ordo in clericis, benedictio in virginibus, in viduis religiosus habitus. Hoc autem solum matrimonium impedit » seu irritum facit.

Verum ut vocabulum *publicum* accuratum non erat, sic *privatum* aut *in abscondito factum* minus erat probabile, quum ordines sacri et religiosus habitus privatim et in abscondito conferri possint. Quare Gratianus, qui circa annum 1139 Decretum suum colligere cœpit et circa medium sæculum XII absolvit, pro more suo studens in concordiam adducere quæ ex patribus et conciliis de cælibatu sacro protulerat in medium, post caput *Presbyteris, diaconis*, hæc subjunxit (3) : « Hic distinguendum est quod voventium alii sunt simpliciter voventes, de quibus Augustinus et Theodorus locuti sunt ; alii sunt, qui-

(1) Pezius, Thesaurus anecdotorum, tom. I, diss. pag. XLV et seqq.

(2) Sententiarum liber, de ecclesiæ sacramentis, dist. XXXI, ap. Migne, Patrologia latina, tom CXCII, col. 1108.

(3) Dist. XXVII, cap. VIII, *Presbyteris*.

bus post votum benedictio accedit consecrationis vel propositum religionis; de quibus Hieronymus, et Nicolaus, et Calixtus scripserunt. » Unde invaluerunt in scholis toties hæc decantata nomina : *Votum simplex* et *solemne*.

Bernardus Papiensis, cognomine Circa, cujus ante annum Ratisbonæ edita fuerunt opera canonica, et cujus hæc non tantum gloria est, quod auctor fuit primæ post Gratianæam literarum decretalium compilationis (1), verum quod primus decretales certo ordine in quinque libros distribuit; quem ordinem dein retinuit S. Raymundus de Pennafort, quum jussu Gregorii papæ IX collectionem, hujus nomine insignitam, fecit. Ille itaque Bernardus, nunc minus notus, olim vero ita celeber ut complures in ejus libros glossas conscripserint, paulo post annum 1159 edidit Summam de matrimonio, ubi hæc tradit (2) : « Votum castitatis aliud simplex est, quod fit vel in secreto, non adhibitis testibus, vel adhibitis testibus, absque tamen hujusmodi solemnitatibus, puta, non vovit in præsentia sacerdotis, non coram altari, non tonsuram vel vestem reli-

(1) Michael a S. Joseph, Bibliographia critica, tom. I, pag. 467.

(2) Bernardi Papiensis opera, pag. 288.

giosam assumsit; solemne est, quod fit aliqua istarum trium solemnitatum, in præsentia testium adhibita. Simplex utique votum matrimonium contrahendum impedit, sed contractum non dirimit; unde Theodorus papa: *Si votum virginitatis,* etc. ut dist. XXVII (cap. 3); sollemne vero contrahendum impedit, contractum dirimit. » Postea, scilicet inter annum 1191 et 1198, Summam decretalium, in quinque libros divisam, dedit in lucem; ex qua Summa hic sistemus ejus doctrinam: « Votum est alicujus boni cum deliberatione facta promissio. Votorum aliud simplex, aliud solemne (1).» «Votum autem solemne est quod fit adhibitis sollemnitatibus, ut si voveat in manu sacerdotis vel super altare continentiam profitendo; multo quoque fortius, si hoc faciat in manu episcopi, abbatis vel abbatissæ, ut infra cap. *Consuluit* (Lib. III, tit. XXXII, cap. 10). Simplex votum est, quod hujusmodi sollemnitatibus caret, ut ar. infra eod. *Consuluit* (lib. IV, tit. VI, cap. 4); sed, etsi assumat habitum de manu sacerdotis absque professione, non intelligitur votum sollemne, (quod simul matrimonii impedimentum sit,) ut ar. infra eodem *Consuluit* (lib. IV, tit VI, cap. 4); quæ autem et qualis debeat esse professio,

(1) Ibid. lib. III, tit. 29, pag. 113.

dictum est supra de regularibus et transeuntibus ad religionem. (1). » « Professio est sollemnis promissio religionis. In ea vero ista præcipue promittuntur: morum conversio, obedientia, propriorum abdicatio, castitas et loci stabilitas; hæc omnia ex canonibus probare, sed plenius in Regula S. Benedicti poteris invenire (2). »

Quantopere intra aliquot annorum spatium hæc res declarata fuerit per duo capita *Consuluit*, liquet ex ambobus illis Bernardi libris. Etenim in Summa matrimonii, sine discrimine pronuntiabat votum solemne dirimens matrimonii impedimentum esse; in Summa autem decretalium recenset eosdem solemniter profitendi modos, quos in Summa matrimonii; sed quod Alexander III anno 1180 episcopo Lucensi responderat: « Consuluit nos tua fraternitas, quid faciendum sit de nobili muliere, quæ, vestibus pretiosis abjectis, mutavit habitum et de manu presbyteri velamen assumpsit; sed non renunciavit propriis, nec intravit claustrum, nec in manu alicujus episcopi, abbatis, vel abbatissæ, aut super altare professa est, vel obedientiam promisit: postmodum vero elapso anno, abjecto reli-

(1) Ibid. lib. IV, tit. 6, pag. 149.
(2) Ibid. lib. III. tit. 27, pag. 109.

gionis habitu, cuidam nobili nupsit. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum et non dirimit jam contractum; ita habitus, sine professione susceptus, ne contrahatur impedit, sed contractum nequaquam dissolvit. » Ubi Alexander papa re quidem vera non diserte affirmat religionis habitum, a presbytero susceptum, solemne votum non esse; sed id tamen innuit: quoniam, licet olim non requireretur ad professionem regularem prælati præsentia, et vestis monasticæ, quocumque modo assumptæ, gestio sufficeret, hæc tunc temporis amplius satis non erat, etiamsi a manibus presbyteri acceptus fuisset religiosus habitus, quia presbyter (nisi deputatus fuerit) in hoc rerum genere auctoritatem non habet, neque publica persona est. Secundum pristinam itaque disciplinam votum illius mulieris solemne erat, non secundum eam, quæ tum invalescebat; quare distinctionem indicavit Bernardus Papiensis, id votum appellans « solemne, sed minus forte » scilicet ad dirimendum subsequens matrimonium. Desiit autem paulatim ille loquendi modus, quum Romani pontifices apertius voluerunt vota, ut essent solemnia, acceptari a monasteriorum superioribus eorumve delegatis, et statum religiosum noluerunt suscipi extra religiones a sede apostolica approbatas. Verum ante, ut ex Bernardo Papiensi

liquet, poterant esse vota solemnia, alia quæ impedimentum dirimens essent matrimonii, alia quæ non: prioris autem generis fuisse, quæ annexa essent ordini sacro aut comitarentur professionem religiosam; posterioris, quæ extra has causas fierent, videlicet continentiam profitendo supra altare, aut in manu sacerdotis et maxime episcopi: nam quæ in abbatis aut abbatissæ manibus fiebant, censebantur cum regulari professione conjuncta; uti et pleraque ea quæ admittebantur ab episcopis.

Hæc itaque si recolligamus, videmus votum solemne variis designatum fuisse nominibus: *manifestum* dictum fuit, *publicum* et *testimonio ac judicio ecclesiæ confirmatum;* simplex vero *privatum, factum* ve *in abscondito aut sine solemnitate.* Initio sine distinctione assertum est votis solemnibus dirimi matrimonia, idque fieri, ut cardinalis Pullus aperte tradit, per « statuta ecclesiæ; » similiter Magister sententiarum causam extrinsecus adducit quare votis occultis seu simplicibus matrimonia non solvantur; vota autem publica seu solemnia impedimentum matrimonii dirimens sit; scilicet quia illa probari non possunt, secus autem publica seu solemnia: id est quod, quum ecclesia testimonio ac auctoritate sua hæc confirmet, fundamentum certum et firmum habet, quo nitens matrimonia sequentia irrita decla-

ret, non item quando in occulto aut saltem quando absque ejus interventu facta sunt. Sed hæc omnia non satis distincte explicita erant; quare postea accuratius res indicata est et constitutum impedimentum dirimens in solo voto solemni castitatis, facto in professione religiosa et in ordinum sacrorum susceptione.

Quum tamen hæc non omnino explicite declarata fuissent et Bonifacius papa VIII sextum decretalium librum edere statuisset, quo plurimæ tollererentur dubitationes ; quumque hic ad hanc operam adhiberet « venerabiles fratres suos Guilielmum, archiepiscopum Ebredunensem, et Berengarium, episcopum Bitterrensem, ac dilectum filium magistrum Richardum de Senis, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarium, juris utriusque doctorem, » ut in Procemio libri illius sexti legitur; Berengarius, bene conscius plura esse vota solemnia castitatis, de quibus olim generalius quam par esset dictum fuerat a jurisconsultis et theologis e votis solemnibus enasci matrimonii impedimenta dirimentia, rogavit pontificem Romanum ut diligenter definiret (quod etiam fecit de degradationis modis (1),) quæ vota solemnia essent efficacia ad

(1) In sexto, *de pœnitentiis et remissionibus*, cap. *Degradatio qualiter* (lib. V, tit. IX, cap. 2).

dirimenda matrimonia ; quæ definitio novo decretalium libro inseri posset : « Quod votum, respondit Bonifacius (1), debeat dici solemne ac ad dirimendum matrimonium efficax , nos consulere voluisti : nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione ecclesiæ est inventa : matrimonii vero vinculum ab ipso ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso et in statu innocentiæ instituente, unionem et indissolubilitatem acceptarit : præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici *solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum*, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de religionibus, per sedem apostolicam approbatis. Reliqua vero vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, et quanto manifestius sunt emissa, tanto propter plurium scandalum et exemplum durior pœnitentia transgressoribus debeatur, non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta. » Ubi illa verba : « Votum solemne ac ad dirimendum matrimonium efficax, » et hæc alia :

(1) In sexto, *de voto et voti redemptione,* cap. *Quod votum,* (lib. III, tit. XV, cap. un.)

« Votum solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum » quam apertissime synonyma sunt ; ita ut utrobique non agatur de votis solemnibus, quantum sunt solemnia, sed quæritur quæ vota solemnia efficacia sint ad dirimendum matrimonium. Interrogans itaque et respondens supponunt vota castitatis solemnia fieri posse ac reapse fieri, quin impedimentum dirimens matrimonii necessario sibi adjunctum habeant. Quum autem Bonifacius tamquam principium statuit « voti solemnitatem ex sola constitutione ecclesiæ esse inventam, » tantumdem id est ac si dixisset : Quum impedimentum dirimens, annexum voto solemni castitatis, non nitatur voto, sed solemnitate, rationem hujus ipsius solemnitatis sequatur oportet. Quare, quum solemnitas ab ecclesia instituta est, negari non potest effectus hujus voti in ejus arbitrio esse, et impedimentum proinde dirimens ab ejus statutis pendere, quemadmodum jam pridem aperte docuerat Robertus Pullus ; minus aperte Magister sententiarum ; Romanum itaque pontificem restringere aut amplificare posse id impedimentum et certe indicare quando adsit, quando non ; se itaque statuere tunc solummodo adesse impedimentum dirimens, quando castitatis votum solemne aut in ordinibus sacris, aut in professione religiosa emissum est. Ea de re videri potest Vas-

quez (1), quem frustra impugnavit Suaresius (2), contendens quæsitum fuisse a Bitterrensi episcopo quæ vota, impropria seu accidentali solemnitate essent solemnia, et quæ simpliciter solemnia, seu solemnitate propria, substantiali et canonica ; ita ut vox solemne plane otiosa sit et universæ decretalis significatio ad hæc reducenda : Quæris quod votum impedimentum dirimens matrimonii sit ; nos igitur attendentes quod impedimentum voti dirimens ecclesiæ constitutione est inventum, declarandum duximus oraculo sanctionis quod factum fuerit in susceptione sacri ordinis aut in professione expressa vel tacita facta alicui de religionibus, per sedem apostolicam approbatis ; nam secundum Suaresium solemnitas propria, substantialis, canonica, voti solemnis castitatis est in ipsomet impedimento dirimente. Verum qui legerit quæ supra ex theologis et jurisconsultis retulimus, is facile intelliget quæstionem non fuisse quæ vota canonice essent solemnia, sed quibus votis, canonice solemnibus, seu « testimonio ac judicio ecclesiæ confirmatis, » per sacras constitutiones vis addita

(1) Commentarii ac disputationes in primam secundæ S. Thomæ, quæst. XCVI, art. IV, disp. CLXV, cap. VIII, num. 82.

(2) De religione, tom. III, lib. II, cap. IV, num. 14 et seqq.

esset dirimendi matrimonia. Neque aliter hæc intellexit Joannes Duns Scotus, qui proxime post sextum decretalium librum a Bonifacio VIII in lucem datum scripsit; (mortuus est enim anno 1308.) Hic enim, postquam docuerat voto simplici impediri et solemni dirimi matrimonia, id scholium subjecit : « Dico quod votum continentiæ potest esse publicum vel privatum, simplex vel solemne : nec istæ duæ distinctiones sunt eædem, quia tam publicum, quam privatum, potest esse simplex vel solemne. Votum enim non solemnizatur, nisi aliquo istorum modorum, qui ponuntur *Extra, de. vot. et vot. red.* Et est hodie in 6 lib. *Extra*, etiam *eod. tit. cap. Rurs.* Tanguntur in Glossa tres modi, ubi habetur sic : *Votum solemne est quod, fit interveniente aliqua istarum solemnitatum, videlicet per susceptionem sacri ordinis,* 28 *dist. Diac. Item per susceptionem sacræ vestis, quæ tantum profitentibus dari debet, præsentibus testibus, per quos probari posset, si hoc negaret, Extra, de Regularibus,* STATUIMUS. *Tertio modo, cum per professionem devovet se alicui religioni, abbati vel abbatissæ, Extra, de Regularibus,* STATUIMUS, *præsentibus testibus, per quos probari posset, si hoc negaret. Et ne hæc negari possint, fiat inde publica scriptura,* 27 *quæst.* 1. OMNES FEMINÆ, *in qua scriptura profiteatur velle religiose vivere; alias autem votum continentiæ factum, quamvis corammultis,*

dicitur simplex, quasi non vestitum, vel institutum aliqua solemnitate. Hæc in Glossa. »

« Isti tres modi qui hic ponuntur, et illi, qui ponuntur in alio cap. in 6 lib. non sunt juris, nisi duo, scilicet per susceptionem sacri ordinis, et per votum religionis verum vel præsumptum. Præsumptum quidem est, quando recipit habitum professorum et novitiorum; et etiam quando ultra annum moratur in monasterio absque protestatione de non profitendo : dicitur ergo solemne, non quia publicum, sed quia in se habet aliquid annexum, ut in publicum debeat venire, et per quod vovens ponitur sub alterius potestate : et hic est præcise in susceptione sacri ordinis, per quem suscipiens constituitur minister ecclesiæ, et aliter quam prius sub episcopi potestate : quia episcopus potest eum cogere ad statum clericalem servandum, et ad vitandum ea, quæ repugnant statui clericali. Unde si prædictum ordinem susciperet in secreto, adhuc erit solemne propter rationem jam dictam : sicut etiam professio religionis, facta in manu ejus, qui potest recipere, habet in se aliquid annexum, unde debeat in publicum venire, quia oportet talem vitam sæcularem dimittere, et cum aliis in claustro sui ordinis conversari, et ideo est solemne, etiamsi fieret in occulto. » Secundum Scotum itaque universum discrimen, quod inter votum simplex et solemne

intercedit, versatur in præsentia aut absentia personæ publicæ, cui jus sit hæc vota acceptare et confirmare ; impedimentum autem matrimonii dirimens non necessario ex illa solemnitate oritur, sed quod ecclesia, cui authentice de emisso voto constat, sine erroris periculo voventem cogere possit ad standum promissis suis ; et propterea eo adducta est ut decerneret eos, qui hujus voti vinculo obligarentur, frustra tentaturos matrimonium inire.

CAPUT OCTAVUM.

PRÆCEDENTIS CAPITIS ARGUMENTUM, INSERTIS ANIMADVERSIONIBUS IN BULLAM GREGORII XIII, CONTINUATUR.

Non minus firmum argumentum positum est in decretalibus epistolis Gregorii XIII, quibus Societatis nostræ institutum confirmatum fuisse diximus et quas post diligentissimum examen conditas fuisse constat. Scripserat S. Ignatius in Constitutionibus (1), quos ritus observarent sui in professione

(1) Part. V, cap. 3.

facienda et dein in declarationibus addiderat ad hunc locum : « Particularia, quæ hic et inferius attinguntur, decent quidem, et, cum fieri potest, observanda sunt. Fieri enim posset ut sacerdos non esset, vel missam celebrare non posset, qui ex ordinatione præpositi generalis professionem admittit. Illud autem essentiale est ut publice votum legatur coram iis de Societate et externis qui adfuerint, atque ut solemne et emittatur et admittatur ; » et inferius statuerat ut coadjutores formati spirituales coram domesticis et externis qui aderunt in manibus ejus, qui admissurus sit, vota sua publica, sed simplicia et non solemnia, emitterent ; atque dein in Declaratione addiderat : « In manibus fieri vota dicuntur, quando emittuntur coram aliquo, qui, cum ad id habeat potestatem, ea admittit. Et quamvis multi adessent, cum hujusmodi vota fiunt ; non ideo tamen mutant naturam simplicium : quandoquidem intentio emittentis et admittentis, juxta traditam a sede apostolica (scilicet a Paulo III et Julio III) facultatem, hæc est, ut nec emittantur, nec admittantur, ut solemnia. » Universa itaque ratio, ob quam hæc coadjutorum vota simplicia et non solemnia sint, non inde petita erat a S. Ignatio, quod eis ecclesia non annecteret impedimentum dirimens matrimonii, incapacitatem possidendi et inhabilitatem ineundi contractus non ir-

ritabiles (et re quidem vera videbimus S. Ignatium non censuisse professos vi solius voti solemnis paupertatis dominii incapaces esse), sed ex hoc solum capite quod « intentio emittentis et admittentis hæc est, ut nec emittantur, nec admittantur ut solemnia. »

Atque hæc ita probavit Gregorius XIII in bulla *Ascendente Domino,* ut, de votis coadjutorum temporalium formatorum agens, eadem verba repetat : « Tria, inquiens, paupertatis, castitatis et obedientiæ vota, licet publica et in manibus superioris emissa, non tamen solemnia, sed tum ex Constitutionum præscripto, tum ex voventis et admittentis intentione simplicia existunt. » Quo principio nixus, quum confirmarit pontifex varios qui in Societate Jesu instituti sunt gradus et gravissimas ecclesiasticas pœnas proposuerit adversus eos, qui hanc suam confirmationem aggredi auderent ; nemo non videt quantæ auctoritatis sit in præsenti controversia id pronuntiatum ; vota non esse solemnia, sed simplicia, quoniam emittens novit sua vota non admitti ut solemnia et admittens non intendit, (neque efficaciter intendere potest, quippe qui ea auctoritate destitutus sit,) ea ut solemnia admittere : ita ut iis votis adsit quidem testimonium ecclesiæ (quandoquidem in manibus superioris Societatis aut legati facta sunt), sed deficiat judicium ecclesiæ.

quo ea auctoritate sua confirmet et sub singularem tutelam recipiat. Nam ad solemnitatem requiri ut vota « testimonio ac judicio ecclesiæ confirmentur, » jam multis sæculis ante scripserat Robertus Pullus cardinalis; aut « testimonio et auctoritate publica » quindecim annis ante Gregorianam constitutionem Michael Medina. Neque aliter Gregorii XIII verba intelligi posse statuunt recte Vasquez, Sanchez, Azor, Ribadeneira et alii, quorum dicta suo loco recitabimus aut accuratius indicabimus. Et certe, si solemnitas canonica constituta esset in interdictione dominii et in contractuum infirmitate, aliter profecto locutus esset pontifex : dixisset scilicet vota coadjutorum non esse solemnia, sed simplicia, quoniam eis non adjunxit ecclesia impedimentum illud, eamque interdictionem et infirmitatem ; sed nedum id fecerit, adhibuit ipsissima S. Ignatii dicta, qui sensit solemne paupertatis votum, etiam in Societatis professis, consistere posse cum vero rerum temporalium dominio : adeo ut Gregorii XIII verba, quibus rationem reddit quare coadjutorum vota, etsi in superioris manibus publice emissa, solemnia non sint, a genuino sensu detorqueri non possint, nisi dicatur Gregorius XIII S. Ignatii verba non intellexisse, aut si intellexerit, alio sensu comprobasse quam intellexisse; quorum neutrum tolerabile est.

Interea dum decreta paulatim in lucem venirent,

divorsum abiverunt juris consulti. Alii, toti versantes in impedimentis matrimonii, ita interpretati sunt pontificum verba quasi idem esset votum solemne et impedimentum matrimonii ; et propterea Henricus de Bartholomaeis seu de Segusio, qui, post occupatas Sistaricensem, Ebredunensem et Ostiensem episcopales sedes (unde vulgo Ostiensis dictus est), anno 1271 diem obiit cum fama Fontis uriusque juris, et Galfredus, qui et Ganfredus, cognomine de Trano seu Tranensis, Romanæ ecclesiæ diaconus et pontificis capellanus, magnum quoque nomen inter primos Decretalium literarum interpretes, dixerunt solum votum continentiæ solemnizari sive per religiosæ vitæ professionem, sive per susceptionem sacrorum ordinum. Sed nemo id dogma amplius defendit aut defendere potest. Meliorem disciplinam proposuit Richardus de Media Villa, anglice *Middleton,* professione Franciscanus, qui, Oxoniæ et Parisiis data opera philosophiæ, jurisprudentiæ et theologiæ, Oxoniæ maxime tanto splendore ad finem sæculi XIII docuit ut hinc Doctoris Solidi, Copiosi, Fundatissimi et Authorati cognomen adeptus sit. Hic itaque dicit « quod non tantum votum continentiæ, sed etiam votum religionis et per consequens votum continentiæ, et votum obedientiæ, et etiam votum paupertatis solemnizatur, quia votum religionis includit vota prædicta. » Unde sciendum

est quod secundum Richardum proprie loquendo differentia est inter votum publicum et solemne : quia quodlibet votum, coram multis et in publicum factum, potest dici publicum; sed non quodlibet tale potest dici solemne. Non enim dicitur votum solemne nisi quod habet in se aliud annexum ut in publicum debeat venire, et per quod vovens ponitur in alterius potestate; et tale est votum in sacri ordinis susceptione, per quod suscipiens constituitur minister ecclesiæ ad serviendum Deo publice et ponitur aliter quam ante sub episcopi potestate ; unde tale votum esset solemne, etiam si prædictum ordinem ab episcopo susciperet in secreto. Professio etiam, in religione facta in ejus manu, qui potest eam recipere, habet aliquid annexum in se, quo debet in publicum venire; unde talis professio solemnizat votum, etiamsi in ejus manu fieret, qui potest eam recipere, in secreto : quia talem oportet singularem vitam dimittere et in claustro cum aliis sui ordinis conversari, et ad hoc potest per prælatum cogi. »Quæ sententia, ex Scoti schola profecta, proxime ad eam accedit quam propugnamus : siquidem magistratus publicus, quo mediatore testamentum, contractus et votum facta sunt, singulare jus habet, quo ea opere confieri procuret, quemadmodum sæpe explicuimus.

Neque recedit hæc doctrina a Redonensis placitis ;

quo auctore « ad solemnisationem voti necessaria sunt quatuor ; sine quibus non erit hujusmodi votum solemne, quamvis fiat coram mundo : scilicet consensus de præsenti in perpetuam continentiam ; et notificatio ejusdem consensus facta publicæ personæ, sicut in matrimonio carnali necessaria est notificatio consensus ; item traditio facta in manu publicæ personæ ; item approbatio et receptio facta per illam publicam personam, quia, quantumcumque voveat aliquis vel tradat se Deo (quantum in se est) in hujusmodi matrimonium spirituale, tamen nisi assit vicarius Dei, qui loco ejus acceptet et recipiat hujusmodi votum et traditionem, non erit nisi votum simplex, quod emittitur a sæculari, in sæculo remanente. »

Videtur tamen omne votum, etiam temporarium, esse posse solemne, dummodo magistratus ecclesiasticus adsit idque auctoritate publica confirmet ; quæ tamen sequentia multis non placuit, « quia non in particularibus actibus sive operibus, sed assumptione novi status, solet solemnitas adhiberi, ut cum quis de novo fit miles vel conjux ; et ideo, cum quis vovet aliqua particularia opera, solemnitas tali operi non congruit, sed tantum voto, quo se totaliter Dei servitio subjicit. » Et quidem, licet hæc ex nullo certo principio proficiscantur, longe tamen lateque vagata sunt per veterum libros ; in quibus

passim videre est vota, ut sint solemnia, debere fieri juxta regulam aliquam, a Romano pontifice approbatam, licet necesse non sit tria subtantialia vota profiteri; quod si quis ea ratione profiteatur castitatem, votum quidem solemne fore, non tamen impedimentum matrimonii dirimens.

Juverit etiam legisse quæ Joannes Antonius de S. Georgio, patricius Mediolanensis, vulgo cardinalis Alexandrinus nuncupatus, et jurisprudentum sui ævi princeps, ea de re collegerit ad finem sæculi XV. Ecce quæ tradit in Repertorio seu tabula super lectura super centum et una distinctionibus, dist. 27, cap. *Quidem;* quod opus anno 1404 typis Mediolanensibus expressum est.

« Hodie habemus textum qui dicit quod duplici modo inducitur voti solemnitas: Primus per assumptionem ordinis sacri; secundus per professionem tacitam vel expressam, factam alicui ex religionibus approbatis... Sed dubium est per quos actus indicatur solemnisatio voti religionis. Dic concludendo post Geminianum, quem refert domnus Antoninus, quod votum simplex dicitur dupliciter; uno modo ad differentiam de præsenti, et tum votum dicitur simplex, quod est per verba de futuro,... ut voveo me intraturum religionem;... secundo modo dicitur votum simplex, id est non solemne, ad differentiam solemnis; et tunc omne votum dicitur non solemne,

quod non habet solemnitates requisitas ad solemnizandum votum.

« Unde, ad hoc ut appareat quæ solemnitates inducant solemnitatem voti, considera aliquos casus. Duo casus ponuntur in dicto capite, ordinis et professionis, referendæ ad certam regulam et substantialia, cap. *Non solum,* et cap. *Constitutus,* DE REGULARIBUS.

« Tertius casus, quando cum voto currit professio unius de substantialibus regulæ tantum, ut castitatis; et tunc aut promissio non determinatur ad certam regulam, et tunc votum non est solemne, et est casus QUI CLERICI VEL VOVENTES in cap. *Veniens;* aut determinatur ad certam regulam, et constat de mente volentis obligari, quod tunc non vult profiteri aliud quam castitatem; et ad illam obligatur tantum, et non ad substantialia, etiam dato quod promittat respectu regulæ, habentis alia substantialia; et tunc etiam votum est solemne, ita ut dirimat matrimonium post contractum; et iste est casus QUI CLERICI VEL VOVENTES in cap. *Insinuante;* aut promittit castitatem, sed de intentione constat quod vult obligari ad omnia substantialia et obligatur ad omnia, et adhuc votum est solemne a fortiori d. c. *Insinuante;* aut promittit castitatem, et adhuc est dubium an ad alia substantialia velit obligari, et tunc votum castitatis procedit; et ultra hoc sequitur assumptio simplex

habitus regulæ, et adhuc obligatur ad omnia, ut notat Hostiensis in dicto capite; et sic votum est solemne, etc;.. aut votum castitatis emittit, et simul habitum certæ religionis assumit, et est dubium de mente, et tunc si assumit in religione, et vadit in congregationem, obligatur ad omnia substantialia: et iste est casus recte intellectus QUI CLERICI VEL VOVENTES cap. *Consuluit;* aut assumit habitum extra congregationem, solum facta promissione castitatis respectu certæ et determinatæ regulæ, et tunc obligatur ad solam castitatem ex allegato cap. *Consuluit;* et votum est solemne etiam isto casu, dicto cap. *Insinuante,* ita quod dirimit etiam matrimonium post contractum.

«Quartus casus, quando cum voto concurrit promissio substantialis obedientiæ tantum; et tunc si non determinetur ad certam regulam approbatam, planum quod non solemnisatur votum. Si vero determinatur ad certam regulam approbatam, tunc dic per omnia, ut dixi supra in voto castitatis, ut in omnibus casibus, in quibus dixi solum solemnisari per votum castitatis, ita solemnisetur etiam per votum obedientiæ. Nec obstat quod notat Innocentius in dicto cap. *Consuluit* QUI CLERICI VEL VOVENTES; ubi dicit quod obedientia necessario non concludit professionem, cum hæc cadat etiam in clerico sæculari, Extr. DE MAJ. ET OB. c. 2, tit. 3. Quare, quando de-

terminatur ad certam et determinatam regulam, debet in dubio intelligi de monachali obedientia, propter quantitatem regulæ, cui se astringit: ut verba intelligantur secundum materiam subjectam, in qua proferuntur DE PRÆB. C. *Cum de beneficio*, lib. 6. Est tamen differentia in isto, quod, licet solemnisetur votum, non tamen solemnisatur quoad inducendum impedimentum habile ad dirimendum matrimonium post contractum. Et hoc plus habet votum castitatis; et votum castitatis plus se opponit fini matrimonii et procreationi liberorum quam operatur promissio obedientiæ; ut patet in regula militum B. M. V., qui promittunt solum obedientiam, et non votum continentiæ extra congregationem, et non obligantur voto castitatis; quare possunt habere uxores, et nihilominus non est dubium quod eorum votum est solemne: tamen non dirimit nec impedit matrimonium post contractum; de quo ponit Speculator de Statu Regularium V. 37 (*a*) et Panormitanus in cle. I. DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

(*a*) In Speculo Guilielmi Durandi, anno 1488 Venetis typis excuso, DE STATU MONACHORUM, *Qualiter concipiet,* hæc leguntur : « Bene enim potest esse obedientia sine castitate et sine carentia proprii, ut patet in Fratribus sanctæ Mariæ ordinis ; qui ordo cœpit Bononiæ. Nam milites illius ordinis sunt sub obedientia sui majoris; et tamen vivunt cum uxoribus in

« Quintus est casus, quando cum voto currit professio paupertatis, et tunc dic per omnia ut dictum est supra de voto paupertatis(*a*). Et jam de his posui in d. c. *Rursus* et in d. c. *Insinuante,* QUI CLERICI VEL VOVENTES. »

Verum, licet ita sentiret cardinalis Alexandrinus et summa ejus esset auctoritas, alii tamen consentiebant Redonensi votum posse esse solemne, quin ad ullam determinetur regulam. Et recte, siquidem votum solemne paupertatis a S. P. Ignatio ejusque sociis emissum vidimus, et alia a crucesignatis et a Ludovico XI rege, quin ulli regulæ obstricti essent. Sed satis fuerit, hæc ex veterum jurisconsultorum libris delibasse. In quibus (quod libenter fateor) multa sunt quæ parum inter se conveniant ; sed id in

propriis domibus, et etiam de novo contrahunt, nec propriis carent ; quæ eis licent juxta regulam, a sede apostolica concessam, quam quinquies examinavimus. Quæ regula, partim in Raynaldi Continuatione Annalium Baronii inserta, cum integra bulla Urbani papæ IV eamdem confirmantis edita est pag. 398 tomi III Bullarii Romani Mainardi. Duobus tomis eorum historiam scripsit et anno 1787 typis Venetis edidit Dominicus Maria Federicius ; epitomen Dictionario suo ecclesiastico inseruit, v° *Gaudenti,* Cajetanus Moronius : quos vide.

(*a*) Scilicet votum paupertatis esse solemne, quando determinatur ad certam regulam.

eis manifestum, solemnitatis originem ab eis in ecclesiæ interventione constitui et plures ex eis omnino sensisse vota solemnia esse posse, quæ effectum moralem nullum habeant ; et consequenter vim ejus producendi de essentia solemnitatis votorum non esse.

CAPUT NONUM.

OSTENDITUR EX DISCIPLINÆ VARIETATE VOTUM CASTITATIS SOLEMNE FUISSE, QUIN DE EJUS ESSENTIA ESSET VIS DIRIMENDI MATRIMONIA. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII RATI PROPTER PROFESSIONEM RELIGIOSAM.

Venio jam ad argumenta, repetita ex historia, quibus sententia, quam propugnamus, tantum stabilitur quantum infirmantur reliquæ omnes, quibus suadetur solemnitatem votorum consistere non posse, quin actus repugnantes sint irriti aut saltem, quod ad obedientiam spectat, irritabiles. Hæc autem in hoc imprimis sunt posita quod valde varia fuit ecclesiæ disciplina in his quæ pertinent ad impedimentum

voti et dominii interdictionem : de contractuum rescissione loqui nolim, quum hanc a se primo inventam fuisse fassus sit ipse Suaresius. In his autem jam multi versati sunt, alii contendentes a primis ecclesiæ temporibus votum solemne castitatis impedimentum dirimens fuisse matrimonii ; alii id primum ortum sæculo XII, aut alio nescio quo tempore ; nam alii alia sentiunt. Sed pace tantorum virorum dixerim, neutra videtur sustineri posse sententia. Vulgare parœmium est : « Distingue tempora et concordabunt jura. » Verum pro antiquis temporibus non minoris forte usus est in rebus disciplinaribus id alterum : « Distingue loca et concordabunt jura. » Olim enim multo major legum et consuetudinum differentia erat quam quæ nunc est; quum scilicet conciliis generalibus et Romanorum pontificum decretalibus epistolis innumeræ res nondum constitutæ essent. Hinc episcoporum auctoritas multo latius patebat; qua auctoritate quum res, quas nunc ne tangere quidem possunt, tunc, prout videbatur, ordinarent, fieri non poterat ut diversa diversis in locis non fierent.

Hanc diversitatem luculente indicavit S. Augustinus. Quum nempe suo ævo passim receptum esset violationem virginitatis propositi sacrilegum adulterium esse (quam rem ipsemet in enarrando psalmo LXXXIII, num. 4, pronuntiarat : « Sanctimonialis,

inquiens (1), si nupserit, Christi adultera deputabitur ; ») quumque hinc nonnulli concluderent matrimonia virginum castitatem professarum nulla esse; aliam omnino aperuit sententiam, adeoque in libro de Bono viduitatis demonstravit metaphoricum illud adulterium (quod sæpe comparationibus insitum est) in magnas incurrere difficultates et castimoniam Christo dicatam sic solum cum nuptiis componi posse, quatenus utræque fidelitatem deposcant; secus ipsum Christum (quod absit) adulterum dictum iri, quum ambo conjuges, sibi invicem venia concessa, castitatem profitentur ; aut polygamum, quandoquidem myriades virginum sese ei in perpetuum devoveant. Quum enim juxta apostolum docuisset nubere et nubere velle post continentiæ votum damnabile esse, « non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore ; » sic pergit (2) : « Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant : fallit eos quippe simili-

(1) Opp. tom. IV, col. 1058.

(2) De bono viduitatis, cap. X, num. 13 et 14, tom. VI Opp. col. 375 et 376.

tudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere, quæ christiana sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si viro suo vivo quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Evangilio definivit; vivo ergo Christo, cui mors ultra non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acute quidem moventur, sed parum attendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cum enim laudabiliter, etiam vivente viro, ex ejus consensu continentiam femina Christo voveat, jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui (vivente marito) nubit. Deinde cum primæ nuptiæ melioris sint meriti quam secundæ, absit ut sanctarum viduarum iste sit sensus ut Christus eis videatur quasi secundus maritus.... Cui ecclesia ipsa, cujus membra sunt, conjux est..... Novit autem ille conjugem virginem sine corruptione procreare. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum, a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separentur quasi adulteræ sint, non uxores; et cum volunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, quum sine uxoribus vivis alteras duxerint. Quapropter non possum qui-

dem dicere, a proposito meliori lapsas, si nupserint, feminas, adulteria esse non conjugia : sed plane non dubitaverim dicere lapsus et ruinas a castitate sanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis esse pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cum membrum ejus fidem non servat marito ; quanto gravius offenditur, cum illi ipsi non servatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? » Erant itaque qui infidelium virginum nuptias non conjugia esse dicerent, sed adulteria ; qui eas, tamquam adulteras, a maritis separarent ; verbo qui castimoniæ professionem impedimentum esse dicerent, quo matrimonia, postmodum inita, irrita essent ; ast quantum hæc doctrima sibi displiceret non potuit gravioribus verbis significare S. Augustinus quam quæ modo descripsimus. Atque alibi, scilicet in libro de Sancta virginitate, cap. XXXIV, num. 34, longius progressus, sermonem quem de humilitate habebat interrumpit, ut virginibus curiosis, verbosis et loquentibus quæ non oportet, suadeat ad nuptias potius transire quam tanta pravitate propositum suum violare, siquidem nulla spes sit emendationis : « Multas enim earum, inquit (1), revocat

(1) Opp. tom. VI, col. 357.

a nubendo non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens et ipse de superbia, qua formidatur magis hominibus displicere quam Deo. Hæ igitur, quæ nubere volunt et ideo non nubunt, quia impune non possunt, quæ melius nuberent quam urerentur, id est quam occulta flamma concupiscentiæ in ipsa conscientia vastarentur, quas pœnitet professionis et piget confessionis, nisi correctum cor dirigant, et Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt, sive in deliciis agant,... sive in laboribus atque jejuniis, nulla cordis correctione superfluis et magis ostentationi quam emendationi servientibus. » Quid ad hæc illi, quibus certum est semper et ubique votum solemne castitatis impedimentum matrimonii fuisse dirimens? Alii dixerunt librum de Bono viduitatis S. Augustini non esse, sed Juliani Pelagiani : apage; ipse Possidius capite VII inter epistolas S. Augustini recenset hoc titulo : « Julianæ, de sancta viduitate (1). » Alii S. Augustinum non agere de matrimoniis earum feminarum, quæ post simplex aut solemne castitatis votum nubunt, sed de secundis nuptiis, quas nonnulli imprudenter damnabant; profecto harum quoque nuptiarum bonum asserit;

(1) Ibid. col. 367 et 368.

sed ille libens cæcutit qui non videat de professarum quoque virginum nuptiis S. Augustinum recitato loco dicere. Alii contendunt sermonem ibi esse de virginibus simplici castimoniæ voto obligatis ; verum si *præclarum propositum,* si *aperti dedecoris timor,* si *professio* et *confessio* non ad solemne castitatis votum apud S. Augustinum referenda sint, nuspiam in ejus operibus hujus voti indicium erit. Quid quod in fine virgines, quas docere instituit, *sanctimoniales* vocat? « Pro modulo itaque nostro et de sanctitate, qua sanctimoniales proprie dicimini, et de humilitate, qua conservatur quidquid magnum dicimini, satis locuti sumus. » Neque minus manifestum est S. Augustinum in libro de Bono viduitatis disserere de virginibus, solemniter castitatem professis ; quod nemo negare possit, nisi affirmet adversarios, quorum doctrinam improbat sanctissimus præsul, voluisse simplice castitatis voto irritos fieri contractus nuptiales. Alii demum suggerunt S. Augustinum latuisse decreta conciliorum, quibus virginum, Christo devotarum, nuptiæ nullæ esse decernantur : sed ut hæc concilia omittantur, de quibus multa fuit in utramque partem disceptatio, hoc responsum confessio est censuisse S. Augustinum illarum virginum matrimonia vera et rata fuisse, licet iniquissima.

Cæterum S. Augustino jam pridem in Africa præi-

verat S. Cyprianus; qui in epistola LXII ad Pomponium, episcopum Dionysianensem in provincia Byzacena, in qua vehementissime invehitur in Deo sacratas virgines, quæ se corrumpi sinunt, « quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est, » in ea ita disserit (1): « Quodsi ex fide se Christo dicaverunt, pudicæ et castæ sine ulla fabula perseverent, et ita fortes et stabiles præmium virginitatis exspectent. Si autem perseverare nolunt vel non possunt, melius est ut nubant quam in ignem delictis suis cadant. »

Postmodum S. Gregorius Magnus docuit etiam matrimonia eorum, qui castitatem professi erant et religiosæ vitæ statum amplexi, valida esse : supra locum videre fuit, S. Bernardi epistolæ intextum ; sunt et alii, quos, ne nimius sim, omittere placet.

Dum itaque hæc benignor disciplina pluribus regionibus vigeret, alibi multo severior usu erat recepta et firmis stabilita legibus. Qui enim religiosam vitam professi erant, si matrimonium attentarent, jubebantur omnino separari atque illa eorum professio eodem loco habebatur quo reliqua impedimenta dirimentia : quod duplex argumentum ad 16 octobris bene versavit collega meus Josephus Van Hecke in Commentario de SS. Martiniano, Saturniano et sociis, martyribus Afris. Docet impri-

(1) S. Cypriani opera, col. 219, edit. Baluzii.

mis S. Radegundem a patribus concilii Turonensis anno 567 monitam fuisse monialem, viro adhaerentem, anathemati subjacere, « donec, separatione facta, per competentiam recipi mereretur (1); » concilium Barcinonense anno 599 canone IV sanxisse ut velatæ quæ « a pudicitiæ violatore se sequestrare noluerint, » ita essent alienæ a communione catholica, « ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio relinqueretur (2); » cui legi consonare canonem XI concilii Forojuliensis, anno 791, Paulino episcopo Aquilejensi præside, celebrati, quo præcipiatur ut « quæ, voto castitatis emisso, ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam, sicut antiquitus mos fuit in his regionibus, indutæ fuerint, licet non sint a sacerdote sacratæ, si postea sese vel clanculo corruperint seu publice nupserint, segregentur ab invicem (3); » Meldense concilium anno 845, canone LXVII, decrevisse ut id genus nupturientium « ad habitum religionis cogerentur, sine ulla spe uxoriæ copulationis perenniter permanentes (4); » quam disciplinam Germaniæ quoque et Angliæ fuisse communem constare ex concilii Triburiensis

(1) Labbe, Conc. tom. VII, col. 874.
(2) Ibid., col. 1606.
(3) Ibid. tom. VII, col. 1006.
(4) Ibid., col. 1839.

canone XXIII (1) et legibus Edgari, Angliæ regis (2).

Iisdem in regionibus religiosæ vitæ professionem eodem ordine fuisse collocatam quo alia impedimenta, quibus matrimoniales tabulæ irritæ sint, non minus luculente demonstravit ille idem collega meus. Affert imprimis canonem XIV concilii Parisini V, anno 615 habiti, quo ut « incestæ conjunctiones ab omni christianorum populo resecarentur, » jubetur « ab illicitis conjunctionibus sequestratione manifestissima abstinere qui relictam fratris, sororem uxoris, vel in religionis habitu deditam conjugii crediderit consortio violandam (3); » deinde canonem I synodi Metensis anni 753, quo mulctandus dicitur qui « incestum commiserit de Deo sacrata, aut commatre sua,... aut cum matre et filia (4); » dein Egberti, archiepiscopi Eboracensis in Anglia, capitulum CXXIX, quo eodem fulmine anathematis percellitur qui « monacham » ac qui « de propria cognatione uxorem duxerit (5); » insuper canonem XV concilii Calchutensis in Anglia, anno 787 coacti, quo «interdicuntnr omnibus injusta connubia

(1) Ibid., tom. IX, col. 453.
(2) Wilkins, Conc. Brit. tom. I, pag. 233.
(3) Labbe, Conc. tom. V, col. 1652.
(4) Ibid., tom. VI, col. 1660.
(5) Ibid., col. 1598.

et incestuosa, tam cum ancillis Dei vel aliis illicitis personis, quam cum propinquis et consanguineis vel alienigenis uxoribus (1); » epistolam etiam synodicam concilii provinciæ Remensis, quod anno 874 Duziaci convenit, qua prohibentur omnes illiciti concubitus et « multo magis concubitus cum propinquis Deoque dicatis fœminis (2); » item canonem VIII, quo concilium Ænhamense in Anglia anno 1009 gravissime præcepit, ut « nemo illicitis conjunctionibus se inquinet, id est, cum cognatis, vel cum conjugatis, vel cum Deo sacratis (3); » quam sanctionem confirmavit anno 1052 Canutus, Angliæ et Daniæ rex, lege XIV, post enumerata alia etiam impedimenta dirimentia, « in nomine Dei præcipiens ne commatrem, aut filiolam suam, nec sanctimonialem, nec repudiatam aliquis duceret uxorem (4). »

Manifestum itaque est eodem tempore aliis regionibus alias fuisse leges, quum alicubi religiosæ vitæ professio impedimentum tantum impediens esset matrimonii, alibi autem dirimens. Verumenimvero qui tum stabilitatem Benedictinam non vovissent, ii passim, licet se statui religioso mancipassent, nulli

(1) Ibid., col. 1869.
(2) Ibid., tom. IX, col. 261.
(3) Ibid. tom. IX, col. 799.
(4) Ibid tom. IX, col. 927.

monasticæ congregationi aut domui erant obnoxii ; ita ut fas eis esset locum mutare, ex una regione transire ad aliam, alias sequi monasticas regulas quam initio cœperant, et id genus alia. Hinc videre est orientales venire in Gallias et in Germaniam ; Gallos Germanosque in Italiam abire atque etiam in Ægyptum et Africam ; Afros navigare in Hispaniam ; verbo nil frequentius quam illi ultro citroque commeatus et alternata monachorum itinera et commorationes : qua de re alibi (1) dicere memini post Possinum, Mabillonium, aliosque. Quid ergo? Iidem monachi qui in Africa et in Italia validum, quamvis irreligiosum, iniissent matrimonium, frustra id tentassent in Galliis : quod alibi alia esset lex. Quid itaque luculentius quam impedimentum matrimonii dirimens non profisci ex solemnitate professionis, sed ex lege ecclesiastica? Professio enim et solemnitas eadem ubique habebatur, neque discrimen instituebatur ullum inter monachos aliarum atque aliarum regionum : superest itaque ut disciplinæ matrimonialis varietas his non nitatur, sed sola legum diversitate et consuetudinum ; nisi adversarii malint Afrorum monachorum vota simplicia fuisse et solemnia esse facta, ut primum appellerent Gal-

(1) Exámen historicum, pag. 160.

liæ portum; Gallorum autem, solemnia in Galliis, simplicia evasisse, ut Africani solis radii illis affulgerent. Quomodo deinde sæculo XII procuratum sit ut in patriarchatu occidentali uniformis esset disciplina explicui alio loco.

Ut itaque adversarii se expediant argumentis, quæ SS. Cypriani, Augustini et Gregorii Magni verbis continentur, non sufficit negare virgines et monachos, de quibus loquuntur, fuisse solemniter professos. Verum non minus in angustias rediguntur alio documento, quo manifestissimum fit eorumdum vota non caruisse solemnitate canonica, licet valide matrimonia inire possent et terrena bona possidere. Petitur autem id ex ea vi, quæ solis votis religionis solemnibus inest, ut matrimonium ratum, non consummatum, solvant. Inde concilii Tridentini (1) decretum : « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. »

Quo jure hæc vis solemni professioni insit disputant inter se theologi et juris canonici doctores, aliis jus naturale, aliis jus divinum positivum, aliis demum jus humanum ecclesiasticum afferentibus ;

(1) Sess. XXIV, can. 6.

quæ postrema sententia tam firmis fundamentis nixa est ut forte certe dicenda sit. Verum hæc controversia ad nos non pertinet. Id unum scilicet hoc loco advertendum a nemine umquam dictum fuisse, multo minus ulla lege statutum ut votis simplicibus matrimonia rata, non consummata, irrita fierent. Quæ quum ita sint, perspicuum utique est vota primævorum eremitarum et virginum solemnia fuisse; si iis matrimonia rata, non consummata, dissolverentur. Quod restat ut ex historia certum faciamus.

Nemo latius aut majori doctrinæ copia id argumentum versavit quam Petrus Gibertus, vir juris utriusque consultissimus (1); ex cujus uberrima dissertatione pauca tantum excerpam. Mitto quæ de S. Joanne Evangelista circumferuntur, quasi ipse sponsus fuisset in nuptiis Canæ in Galilæa et quem inde, soluto matrimonio rato, ad virginitatem colendam a Christo vocatum fuisse volunt; quum ante Venerabilem Bedam nemo hujus rei meminisse videatur: ita ut id unum hinc colligi possit sæculo VII et VIII, quum sanctissimus ille monachus scripsit vulgo fuisse persuasum solemni virginitatis

(1) Tradition ou histoire de l'Église sur le sacrement de mariage, tom. III, pag. 244 et seqq.

professioni vim inesse solvendi matrimonia rata : quæ res indicio sit quid hoc ævo jus ferret, non quid sæculo primo. Alio itaque recurrendum est.

Habemus imprimis gesta S. Theclæ, virginis Iconiensis, sancti Pauli apostoli discipulæ et Seleuciæ in Isauria celeberrimæ martyris. Re quidem vera sub S. Pauli nomine presbyter Asianus ea fabulis fœdavit, ut Tertullianus et S. Hieronymus testatum faciunt ; verum alia multa de illustri hac puella exstant monumenta, ex quibus certum est eam a S. Paulo ad fidem fuisse conversam, eamdemque et virginem fuisse et ante conversionem juveni nobilissimo fuisse desponsatam ; post conversionem vero a nuptiis abhorruisse amore virginitatis, eaque occasione multa a parentibus, multa a sponso sustinuisse certamina, in quibus fortiter se gessit et vicit (1). Ast plurimi adversus id factum insurgunt, non quod id negent, sed quod ad præsens argumentum nil pertinere contendunt, quoniam beata martyr non propter virginitatis professionem a sponso discesserit, sed quia hic, gentilis quum esset, cum uxore habitare nollet sine contumelia Creatoris : qui casus apostoli dici soleat. Sed nil tale prodideruut veteres, constanter affirmantes

(1) Acta SS. tom. VI Septembris, pag 533, num. 30.

sanctissimam puellam, solo virginitates amore, nuptialem thorum fugisse. Audi S. Epiphanium, Salaminensem episcopum (1) : « Sed et Thecla cum in Paulum incidisset, pactas nuptias dissolvit, cum primario cuidam civitatis totius, ac longe diviti, nobilissimo, splendidissimoque desponsa jam fuisset. Verum terrena ideo sancta illa contempsit, ut cælestium compos esse posset. » Similiter S. Methodius in Convivio virginum S. Theclam, his verbis loquentem, inducit : « Nuptiarum relinquens mortales lectos et domum propter te, o rex (cælestis), auro plenam, venio immaculatis in vestibus, ut admittar et ego beatos intra thalamos una tecum. » Non aliter auctor homiliæ mutilæ, quæ in S. Joannis Chrysostomi operibus (2) legitur : « Parentes, cum filiæ inita cum virginitate pacta non nossent, nec fœderis nuptiarum cum illa jungendi causa Christum Dominum de cælo dextram dedisse, multis eam verbosisque comminationibus ad conjugium incitabant... Accedebat procus, nuptiali eam colloquio titillans : at illa se cum Christo tacite conjungebat, dicens : Adhæsit anima mea post te. » Item Faustus apud S. Augustinum (3) : Paulus

(1) Haer. 76, num. 16.
(2) Tom. II, pag. 749.
(3) Contra Faustum Man. lib. X, cap. 4

« Theclam oppigneratam jam thalamo in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendit. » Non aliter S. Ambrosius (1) : « Doceat Thecla immolari, quæ, copulam fugiens nuptialem et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit. » Quum itaque id exemplum primis ecclesiæ temporibus tam illustre esset ut in ecclesia occidentali et orientali summo celebraretur studio, quumque id S. Pauli consiliis et disciplina niti diceretur, nemini utique illo ævo dubium esse poterat quin solemni virginitatis professioni, quæ universa status religiosi officia complectebatur, vis inesset dirimendi nuptialia fœdera, copula carnali nondum consummata.

Quid itaque mirum, si is, qui sub annum 362 Macarium Romanum excogitavit ejusque fabulosam Vitam et itinera in lucem edidit, finxit « ei a patre desponsatam fuisse uxorem : eumque die nuptiarum, thalamo adornato et sponsa sedente, omnibus autem qui aderant jocis ac saltationibus intentis, furtim exivisse, » et vitam dein monasticam professum degisse in solitudine (2) ? Quæ historia, utut immanibus commentis plena et a S. Hieronymo

(1) De Virginibus, lib. II, cap. 3.
(2) Acta SS. tom. X Octobris, pag. 569.

nigerrima nota inscripta, a Græcis ut a latinis recepta fuit; atque etiam hæc particula, quæ de dissoluto matrimonio per religiosæ vitæ professionem est, Decreto Gratiani inserta fuit. Neque est quod opponas fabulam esse ; non enim rei veritate argumentum nititur, sed quod auctor secundum ævi sui morem et disciplinam hæc finxit et in publicum misit.

S. Alexii gesta, apud orientales æque ac apud occidentales celebria, eodem pertinent. Ea non excogitata aut commentitia esse, licet multis in rebus S. Joannis Calibytæ Vitæ sint affinia, dabit quotusquisque non iniquus arbiter (1). Imprimis multum dispar utriusque initium, quum solus S. Alexius « in matrimonio collocatus fuerit et, nuptiis absolutis, quo tempore consuescere deberet sponsæ, dato ipsi in pignus annulo, exiverit domo (2), » et deinde Edessam transgressus, omnibusque quæ secum tulerat in egenos dispersis, voluntariam paupertatem extra monasteria professus sit (3) : quo more multi tunc temporis religiosam vitam vixisse probe notum est. Atque hæc ad finem sæculi IV.

(1) Acta SS., tom. IV Julii, pag. 240.

(2) Ex Menologio Basilii, in Actis SS., tom. IV Julii, pag. 241.

(3) Ex vita latina, op. cit., pag. 252.

Sæculo VI venit lex Justiniani imperatoris : « Per præsentem legem, ait (1), in perpetuum valituram, jubemus ut siquis sponsus vel sponsa desideraverit sæculi istius vitam contemnere et in sanctimoniali conversatione vivere, sponsus quidem omnia, quæ arrarum nomine futuri causa conjugii dedit, sine ulla diminutione recipiat ; sponsa autem non duplum (sicuti hactenus), sed hoc tantummodo restituat, quod arrarum nomine acceperat, et nihil amplius reddere compellatur, nisi quod probata fuerit accepisse. » Super quam legem late excurrit Gibertus (2) ; et quidem tum ex historia, tum ex jure canonico alisque monumentis invicte ostendit futurum conjugium consummationem esse matrimonii ; arras non sponsalium, sed matrimonii causa datas ; sponsum et sponsam virum et uxorem, contracto, non consummato matrimonio ; adeoque divortium fieri posse religionis gratia, si matrimonium opere nondum completum fuerit. Nolim hæc ego, tanta cura a doctissimo viro disputata, fusius demonstrare.

Quod si his opponas Justiniani auctoritatem mi-

(1) C. de episc. et cler. 54 in Corpore Acursii, 56 in Corpore Godefredi.

(2) Tradition sur le Sacrement de mariage, tom. III, pag. 277 et seqq.

nimi esse ponderis, quippe qui concesserit matrimonia consummata disolvi posse, si alter conjux vitam monasticam amplectatur ; responsio prompta est. Ut enim scite animadvertit idem Gibertus, nil aliud id est nisi nimia prioris legis extensio ; qua in re principem sæcularem errasse mirandum non est. Cæterum S. Gregorius Magnus papa, qui sæpius posterius id Justiniani decretum impugnavit : « Quæ est ista, inquiens (1), migratio vel conversio, in qua una eademque caro (quod per matrimonii consummationem fit) et ex parte remanet in pollutione? » et alibi (2) : « Dum unum utrorumque corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum est partem in sæculo remanere ; » atque etiam : « Si dicunt causa religionis conjugia dissolvi debere, sciendum est quia, etsi lex humana concessit, lex divina prohibuit ; » hic idem, qui tanta constantia matrimonium, plene perfectum, nulla ratione dirimi posse docuit, scripsit ad Fortunatum episcopum et Anthemium defensorem (3) : « Catellus, præsentium lator, nobis innotuit sororem suam, quæ Stephano cuidam fuerat desponsata, divinæ propitiationis instinctu, Neapoli in monasterio fuisse conversam,

(1) Lib. IX, epist. 49, cap. 2.
(2) Lib. V, epist. 49.
(3) Lib. VI, epist. 20.

atque eumdem Stephanum domum et res ejus aliquas indebite detinere. Et quia decreta legalia desponsatam, si voluerit converti, nullo omnino censuerunt damno mulctari, fraternitas tua una cum Anthemio subdiacono veritatem diligenti curiositate studeat perscrutari; et, si ut edocti sumus, domum vel quid aliud suprascriptum Stephanum injuste tenere cognoscetis, eum adhortatio vestra instanter admoneat, ut, quæ indebite detinet, sine aliqua mora vel alteratione restituat. » Quo loco probat S. Gregorius Stephani sororis professionem, quam « divinæ propitiationis instinctu » factam asserit, nedum jubeat eam ad maritum redire; ut de conjugibus post communicatum thorum alibi semper statuit. Neque dubium est Catelli sororem in matrimonium consensisse, quum secus Stephanus ejus domum et res non detinuisset; quæ non aliter quam dotis constitutione penes eum fieri poterant.

Ejusdem fere temporis est exemplum Fridiburgæ, Sigiberto Theodorici filio desponsata; quod in S. Galli Vita (1) legitur; verum quid his inhæreo, quum (ut monui) tanta ubertate id argumentum Gibertus prosecutus sit ut nil exoptari possit copiosius et sagacius.

(1) Acta SS., tom. VII Octobris, pag. 889 et seqq.

Quum itaque dubitari non possit quin veterum monachorum professio solemnis fuerit, licet hæc (alia erat conditio professionis virginum), ut S. Basilius (1) testis est, ad adultum sæculum IV tacita fere fuerit, nemo non potest intelligere quam vanum sit scutum, quo se tegere conantur adversarii, dicentes pristinorum monachorum, eremitarum et virginum vota non fuisse solemnia.

(1) Epist. 199, alias 2 ad Amphilochium, de canon. tom. III Opp. pag. 292. Cfr. Examen historicum et canonicum, pag. 16.

CAPUT DECIMUM.

OSTENDITUR PLURES VETERES MONACHOS
ET PARTEM REGULARIUM CANONICORUM PROPRIETARIOS FUISSE.
DE CANONE « INSINUANTE » INNOCENTII III.

Quibus positis, tempus jam est ut ostendam ex eis multos, nedum dominii incapaces fuerint, vere proprietarios fuisse, neque aliam legem eis positam reperiri quam ut, excluso usu superfluo, ex terrenis bonis mediocre vitæ genus ducerent, avaritiam aut nimiam futuri providentiam studio vitantes. Secundum hanc disciplinam S. Antonius Magnus monachis suis Nacalonitis aliqua privatim possidere permisit. In regulis enim ac præceptis, quæ eorum postulatu

scripsit, capitulo VIII hæc monuit (1) : « Ne reserves tibi plus quam indiges ; nec elargiaris plus quam potes : sed eroga eleemosynam infirmis monasterii. » Atque ipse beatissimus patriarcha ita res, quibus utebatur, suas esse æstimabat ut testamento de iis disposuerit : « Vestimentorum meorum, inquit moriens (2), sit ista divisio : meloten et pallium tritum, cui superjaceo, Athanasio episcopo date, quod mihi novum ipse detulerat. Serapion episcopus aliam accipiat meloten : vos cilicinum habetote vestimentum, et valete viscera mea. »

Non aliter ejus discipulus S. Hilarion ; qui, ut loquitur S. Hieronymus ejus biographus (3), « octogesimo ætatis suæ anno, cum absens esset Hesychius, quasi testamenti vice brevem manu propria scripsit epistolam, omnes divitias suas ei derelinquens : Evangelium scilicet, et tunicam sacceam, cucullam et palliolum. Nam minister ejus ante paucos dies obierat, » et magistro cesserant vestes. Neque umquam credidit beatus vir se rerum suarum non verum esse dominum; etenim, quum adolescens monasticen jam professus erat, non reputavit

(1) Ap. Holstenium, Codex regularum, t. I, pag. 4, edit. Brockie.

(2) Acta SS. tom. II Januarii, pag. 140.

(3) Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 57, num. 32.

se paternæ hereditatis adipiscendæ factum esse impotem ; sed adiit, et quum in suo dominio esset, « partem substantiæ, inquit iterum S. Hieronymus (1), fratribus, partem pauperibus largitus est. » Postmodum labore manuum aut hortuli quem rastro colebat fructibus plerumque vixit ; quos et vendebat. Et quidem in Palæstina « fiscellas junco texebat, æmulans Ægyptiorum monachorum disciplinam ; » quos eas in foro publico vendidisse aliunde compertum est. In Sicilia autem « in quodum agello lignorum quotidie fascem alligans, imponebat dorso discipuli Gazani ; quo in proxima villa venumdato, et sibi alimoniam et his, qui forte ad eos veniebant, pauxillum panis emebat (2). » Discipuli ejus non gregatim, sed per deserti valles et montes dispersi vivebant, singuli res suas curantes. Habebant autem boves masculos, agrorum certe et vinearum colendorum gratia (3) ; habebant et camelos, quorum unus ipsi S. Hilarioni, per desertum pergenti, locatus est (4) : neque viaticum deerat iter instituturis (5).

(1) Ibid. pag. 44, num. 2.
(2) Ibid. pag. 55, num. 25,
(3) Ibid. pag. 52, num. 18.
(4) Ibid. pag. cit., num. 20.
(5) Ibid. loc. cit.

Atque hæc non in communi possidebant, sed viritim, ut multis locis patet. Largos eos volebat esse sanctissimus magister in adjuvandis fratribus; neque ipse abnuebat ab eis eleemosynam accipere (1), atque etiam res quæ convasari poterant (2). Una autem avaritia et nimia providentia vitiosa ei videbatur. Quare « detestabatur præcipue monachos, qui infidelitate quadam in futurum reservarent sua et diligentiam haberent vel sumptuum, vel vestitus aut alicujus earum rerum, quæ cum sæculo transeunt. » Denique « unum de fratribus, in quinto fere a se milliario manentem, quia comperiebat hortuli sui nimis cautum timidumque custodem et pauxillum habere nummorum, ab oculis abegerat (3). » Atque adeo in universa S. Hilarionis Vita, quæ a S. Hieronymo ita particulatim scripta est ut nil postulare possis magis, vestigium non reperies, quo videatur ipse aut ejus discipuli alium, quam qui dicitur primus, paupertatis gradum tenuisse.

Non aliam disciplinam sequebantur abbatis Isaiæ discipuli. Eis quidem pro præcepto LXVI reli-

(1) Ibid. pag. 52, num. 18.
(2) Ibid. pag. 55, num. 24.
(3) Ibid. pag. 52, num. 18.

quit (1) : « Serva te ipsum a divitiis earumque amore ; quoniam corrumpunt fructum monachi ; » sed cæterum cuique res suas esse voluit. Præcepto itaque XLVII hanc dedit legem (2) : « Mutuo aliquid a te postulanti ne deneges ; » et præcepto LXII (3) : « Siquid tibi mutuo datum fuerit, restitue illud, cum eo fueris usus ; nec detineas illud, donec abs te repetatur : et si quid illius fractum resarcito. Si quid mutuo alicui dedisti, ne repetas illud, si noveris illum non posse restituere, præsertim si illo tibi opus non fuerit ; » præcepto autem LIX (4) : « Si abieris ad vendendum opus manuum tuarum, ne disceptes de pretio, ut sæculares. Idem quoque præstabis, si quid emas. Inopiam rerum Deo te propinquum facere scias ; » et demum præcepto LXI (5) : « Si quis frater te rogaverit ut illi aliquid emas, dum peregrinaris, facito. Si autem fratres fuerint tecum, sit in præsentia eorum. » In quibus nuspiam cernere est auctoritatem aut interventum abbatum ; quorum tamen curæ fuisse obnoxios plerosque omnes eremitas clamat universa primæva historia

(1) Holstenius, Codex regularum, tom. I, pag. 9.
(2) Ibid. pag. 8.
(3) Ibid. pag. 9.
(4) Ibid. pag. cit.
(5) Ibid. pag. cit.

monastica : sed quod primus dumtaxat paupertatis gradus in multis institutis (erant enim et alia) requirebatur, necesse non erat ut illi ex aliena voluntate res suas procurarent.

Sed ex Palæstinæ et Ægypti desertis in Africam transgrediamur. Celebris est in historia ecclesiastica S. Augustini cam amico S. Alypio controversia super bonis fratris Honorati, quam refert ipsemet beatissimus Hipponensis antistes in epistola sua CCXXXIX aut pro novo ordine LXXXIII classis II (1). Honoratus itaque, facultatibus suis non abdicatis, in Thagastensi monasterio sub S. Alypio monachus factus erat, atque hinc ecclesiæ Thiavensis, quæ, relictis Donati partibus, unitatem ecclesiasticam amplexa fuerat, constitutus. Monasterio egressus, bona sua ad ecclesiam Thiavensem secum ferre cogitabat. Verum obstitit S. Alypius, contendens aut omnia, aut saltem mediam partem retineri posse a suo monasterio, cui quippe Honoratus nomen suum dedisset. Contra favit Honorati consiliis S. Augustinus : « Videtur mihi, inquit, hæc regula esse in rebus hujusmodi retinendi, ut quidquid eo jure, quo talia possidentur, ejus fuerit qui alicubi clericus ordinatur, ad eam pertineat ecclesiam in

(1) Ap. Migne, Patrologia, tom. XXXIII, col. 291 et seqq.

qua ordinatur. Usque adeo autem eodem jure presbyteri Honorati est illud unde agitur, ut, non solum alibi ordinatus, sed adhuc in Thagastensi monasterio constitutus, si, re sua non vendita, nec per manifestam donationem in quempiam translata, moreretur, non nisi hæredes ejus in eam succederent, sicut frater Æmilianus in illos triginta solidos fratri Privato successit. Hæc autem ante præcavenda sunt. Si autem præcauta non fuerint, ea jura eis servare oportet, quæ talibus habendis vel non habendis secundum civilem societatem sunt instituta. » In Africa itaque, in iis ipsis monasteriis, quæ originem suam S. Augustino debebant, non omnes suas abdicabant facultates; eas secum ex uno loco ad alium ferre poterant; et consanguinei eorum secundum civilem societatem hæreditario jure eis succedebant. Quid optes clarius?

Verumtamen non minus insignis est locus sermonis CCCLV (1) de Januario presbytero ejusque filio et filia, qui omnes religiosam vitam professi erant. Retinuerat nempe pater pecuniam, tamquam filiæ nomine, « ut (licet in monasterio feminarum monasticen professa esset), cum ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi dece-

(1) Ibid. tom. XXXVIII, col. 1568 et seqq.

ret. » Sed pater, morti proximus, pecuniam suam esse jurans, testamento eam ecclesiæ donavit. Admittere noluit legatum S. Augustinus; et universum negotium, quod inde scandalum oriretur, populo explicuit : «Filia ipsius, inquit, in monasterio feminarum est : filius ipsius in monasterio virorum est. Ambos exhæredavit : illam cum laude, hunc cum elogio, id est cum vituperatione. Commendavi autem ecclesiæ ut non accipiat ipsas portiunculas, quæ pertinent ad exhæredatos, nisi cum ad legitimam ætatem pervenerint. Hoc eis reservat ecclesia. » Verumtamen vitam communem inter monachos, sive presbyteri essent, sive laïci, induxerat Hipponensis antistes; sed non ita, ut ad eam redigerentur omnes, aut, si se rebus suis non expresse spoliarent, eas per ipsam solemnem professionem amitterent aut ad eas retinendas fierent inhabiles.

Eodem fere tempore, ut ex Africa in objectas Gallias transeam, abundabat sanctissimis monachis insula Lerinensis et vicina Massilia ; ast hi nil de vita communi noverant, adeoque B. Joanni Cassiano videbantur laborare vitio nimiæ diligentiæ, quod S. Hilarioni tam odiosum visum esse supra intelleximus et a quo Cassianus coævos Ægypti monachos deprehenderat plurimum alienos. Castigat eos itaque et ad majorem perfectionem pro-

vocat his verbis (1) : « Ad hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes, ac sub abbatis cura et sollicitudine constituti, peculiares circumferimus claves, omnique professionis nostræ verecundia et confusione calcata, etiam annulos, quibus recondita præsignemus, in digitis palam gestare nos non pudet, quibus non solum cistellæ, vel sportæ, sed ne arcæ quidem, vel armaria, ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reservavimus, condenda sufficiunt ; quique ita nonnumquam pro villissimis nullisque rebus accendimur, eas dumtaxat velut proprias vindicantes, ut siquis vel digito quidquam ex his contrectare præsumpserit, tanta contra eum iracundia suppleamur, ut commotionem cordis nostri ne a labiis quidem ac tota corporis indignatione revocare possimus. »

Adhortationem de vitanda avaritia et, quæ inde nascitur, impatientia non probare non potuerunt Lirinenses et Massilienses monachi ; sed morem, qui tum erat in Galliis, ut monachi a parentibus aut consanguineis necessaria acciperent aut ex paterno, quod retinebant, patrimonio viverent, mutare no-

(1) De cœnobiorum institutis, lib. IV, cap. 15, ap. Migne, Patrologia, tom. XLIX, col. 170 et seq.

luerunt ; adeoque Salvianus, Massiliensis presbyter, vir tantæ auctoritatis et S. Honorato, Lirinensium monachorum patri, coævus, acerbe accipit parentes, qui hæreditate partim aut integre excludunt filios monachos et clericos : « Nullis omnino, inquit (1), a suis minus relinquitur quam quibus ob Dei reverentiam plus debetur ; nullos pietas minus respicit quam quos præcipue religio commendat. Denique si qui a parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis postponuntur oblati : indigni judicantur hæreditate, quia digni fuerunt consecratione ; ac per hoc una tantum re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi... Sed præclaram videlicet qui hæc faciunt rationem consilii sui reddunt, dicentes : Quid opus est ut filiis jam religiosis æqua hereditatis portio relinquatur? Nihil ergo justius, nihil dignius, quam ut, quia cœperunt religiosi esse, mendicent!... Certe etiam, siqui non penitus domo eliminantur et quibus non omnino aqua et igni interceditur, cum aut tenues aut certe usufructuarii relinquantur, tamen tanto inferiores fratribus relinquuntur, ut, etiamsi paupertate non egeant, comparatione tamen egere videantur... Cur

(1) Adversus avaritiam, lib. III, cap. 4 et 5, ap. Migne, Patrologia, tom. LIII, col. 209 et 210.

eos, quæso, inhumanissimi parentes, necessitatem indignissimæ paupertatis imponitis ? Permittite hoc religioni ipsi, cui filios tradidistis : rectius pauperes a se fiunt ; si tantum eos inopes esse cupitis, concedite id ipsorum devotioni. Liceat eis, quæsumus, ut velint pauperes fieri : eligere inopiam debent, non sustinere ; » ita ut ex gravissimo hoc documento manifestum sit fas fuisse monachis aliisque, in Galliis vitam religiosam professis, paternam hæreditatem sibi accipere et retinere, aut, si impelleret religio et devotio, eam in bona opera distribuere : quod et in sequentibus declarare pergit Salvianus.

Primis S. Gregorii Magni pontificatus annis, quum Justiniani lex, qua qui monasterium ingrediuntur domini rerum suarum decernuntur nullo modo futuri, nondum usu recepta esset, non diversa in Italia servata fuisse disciplina videtur, ut ex dissidio episcopi Trajani cum pristinis suis monachis (ante enim abbas fuerat) colligitur. Volebat ille scilicet secum ferre quæ in monasterio habuerat ; sed nolebant fratres. Quare sanctissimus pontifex, sententiam suam rogatus, in epistola ad Possessorem his verbis respondit (1) : « Quia ergo petitioni tuæ

(1) Ap. Carattinium, Vita claustralis, pag. 368 et 369.

prædictus frater noster (Trajanus) adjecit ut pueros (seu servos), quos de pecunia sua comparaverat, ac suos patrisque sui codices, aut alias res proprias, quas in eodem monasterio habet, ei tollendi licentia sit ; ratio hoc nos negare non pertulit ; sed ne postulata videamur indiscrete concedere, hanc tenendam observantiam scito, id est, ut, quidquid postquam ab abbatis remotus est officio comparavit vel quolibet alio titulo acquisivit, libere illi tollendi facultas sit; sed et hoc [quod] de monasterio illo, in quo conversus est, quod in provincia Valeria in possessione juris sui patrem ejus manifestum est contruxisse, impellente hostilitate, discedens abstulit secumque detulit, sine aliqua dubietate ei reddendum est ; quia alterum acquisitionis jus effugit, quod semel monasterii fuerit dominio sociatum; siquid autem, dum adhuc illic abbatis fungeretur officio, acquisivit, non suum, sed monasterii ipsius esse cognoscat ; et ideo de jure illud ejusdem monasterii auferri alterum quolibet modo non patimur. » Ubi insignem hanc epistolam, in Maurina editione mihi non obviam, repererit Carattinius fateor me nescire ; sed, licet ab amanuensibus non nihil detrimenti sustinuerit, ea tamen ejus est forma ut de sincera ejus origine fas non videatur dubitare. Cæterum in epistola XLIV libri I ad Petrum, subdiaconum Siciliæ, alium luculentum locum habe-

mus : « Fantinum defensorem, verba sunt S. Gregorii I (1), Joannes monachus quidam moriens in sex uncias hæredem dimisit ; cui hoc quidem quod dimissum est trade ; sed contestare eum (scilicet Fantinum) ut hoc facere ulterius non præsumat;.. et hoc meminerit, ut qui ecclesiæ stipendiis subsistit, ad lucra propria non anhelet. » En itaque monachus qui testamentum condat, mediam patrimonii sui partem relinquens defensori; quod quum eximium officium esset, non potuit legatum esse minimi valoris; atque hoc testamentum ratum habet beatissimus pontifex, licet alibi, prævalente Justiniani lege affirmet « ingredientibus monasterium convertendi gratia ulterius nullam esse testandi licentiam (2). »

Jam si ad singularia deveniendum esset, dies et annus me deficerent. Innumera exempla contulit, quem paulo supra laudabam, Carattinius ; quibus non solum certum fit omni fere ævo peculium, quod ipse defendit et quod ego summam miseriam cœnobiorum appellabo, usitatum fuisse etiam a sanctissimis viris ; sed insuper usque ad sæculum XII atque etiam post monachos fuisse, eosque probos,

(1) Ap, Migne, Patrologia, tom. LXXVII, col. 506.
(2) Ibid. col. 945; Regestum, lib. IX, epist. 7.

atque etiam sanctis adscriptos, qui proprium habuerint. Præterea testamenta plura sanctorum abbatissarum et abbatum, quibus res non monasteriis solum, sed et consanguineis legantur, continet pars prima Diplomatum Francicorum, quæ ad finem superioris sæculi ediderunt summo studio Brequigny et La Porte du Theil, ea de re non indocte præfati (1); et quibus deinde nixi sunt Ven. Viri Jacobus Andreas Émery (2) et Josephus Carrière (3), duo perennia Societatis S. Sulpitii lumina, demonstrantes solemnitatem votorum cum proprietate consistere posse. Demum, siquis Acta sanctorum aliquantisper evolvere velit, passim reperiet veteres monachos non omnes facultates terrenas abdicasse, adeoque aliquando habuisse copiosas ; quæ paulo diligentius solito in indicibus tomorum IX et X Octobris ipse indicavi.

Et quidem in altero tomo, scilicet IX, fuse egi de canonicis, tum viris tum feminis, secundum capitula concilii Aquisgranensis anni 816 institutis; ubi postquam eos comparaveram cum monachis et ostenderam ambos æque contrictos fuisse ob-

(1) Diplomata, chartæ etc., ad res Francicas spectantia, tom. I, pag. CXLIX.

(2) OEuvres complètes, col. 1658 et seq.

(3) De jure et justitia, part. I, sect. I, num. 303.

dientiæ et castitatis legibus, veni deinde ad paupertatem et ad quæsitum an canonici illi religiosi dicendi sint et solemniter professi. Hæc mihi sit venia ut hunc locum partim recitem. « Paupertatis, scripsi (1), aut proprietatis ratio imprimis diversa. Permittebantur scilicet canonici per art. 120 rerum proprietatem servare, et præter cibum et potum, omnibus communem, certa ab ecclesia stipendia accipere, quæ in usus suos pro voluntate sua converterent ; « placuit tamen art. 89 ut episcopi » presbyteri, diaconi vel quicumque clerici, qui » nihil habentes ordinantur, et tempore episcopatus » vel clericatus sui agros, vel quæcumque prædia » nomine suo comparant, tamquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in ecclesia eadem ipsa contulerint. Si autem » ipsis proprii aliquid liberalitate alicujus vel succes» sione cognationis obvenerit, faciant inde quod » eorum proposito congruit. Quod si a suo propo» sito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesia» stico indigni, tamquam reprobi, judicentur. » Nihilominus art. 120 laudantur, « qui nec suas, nec » ecclesiæ velint habere possessiones, » stipendia scilicet et forte præbendas; et jubentur prælati

(1) Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 223 et 224.

« horum necessitatibus providentissima guberna-
» tione de facultatibus ecclesiæ subvenire. »

« Quæritur autem utrum ii, qui id vitæ institutum sequebantur, religiosi dicendi sint seu canonici regulares. Qui omnem proprietatem abdicabant, eos profecto religiosos fuisse quis neget? Habebant enim propositum seu firmum statum, vi cujus obedientiæ, castitatis et omnimodæ paupertatis legibus obligabantur, eumque ab ecclesia agnitum : quæ sola ad religiosum statum requiri consentiunt præstantissimi canonistæ et theologi. An vero alii, qui bona sua conservabant atque ad id tantum obligabantur ut mediocriter ex iis viverent atque in iis dispensandis a suo proposito retrorsum non exorbitarent, etiam religiosi et canonici regulares dicendi sint, obscura quæstio est. Certe id eis nomen difficilius competeret secundum præsentem ecclesiæ disciplinam, qua jure ordinario nemo religiosus habetur, nisi omnem proprietatem abdicarit, aut saltem usum liberum. Verum enim vero olim non eædem erant leges : sufficiebat enim vestem pullam induere cum animo segregem a mundo ducendæ vitæ, ut quis religiosus atque etiam monachus esset (1); et certe antiquiores mo-

(1) Cfr Examen historicum et canonicum, pag. 16 et seqq.

nachos, ipsum Antonium, Hilarionem aliosque priscos patres cernimus de rebus suis absque ullius licentia, etiam testamento, disponentes; et satis videtur fuisse ut ne avaritiæ essent dediti et mediocre vitæ genus ducerent. Hanc qui amplectuntur opinionem, certe consentire debent omnes canonicos, Aquisgranensibus capitulis institutos, vere fuisse regulares seu religiosos; qui autem negant, ii ut aliter de iisdem sentiant oportet : adeoque omnia pendent a definitione status religiosi, maxime ab iis quæ sunt de paupertate. Porro quum Aquisgranenses leges conditæ fuere, nota nondum erat theologia scholastica, cujus pars non minima posita est in disputando de rerum definitionibus; unde fiebat ut sæculis IX, X et XI parum aut nihil versaretur id argumentum : canonicorum institutio optima habebatur et Evangelio nixa ; de monachorum conditione præclare etiam sentiebatur : sed nil quærebatur ulterius. » Ast ne viderer hæc in suspenso relinquere, paucis dein aperui ipse meam sententiam : scilicet eos vere religiosos fuisse et vota eorum fuisse solemnia. Verum quum historiam illic scriberem, non tractatum theologicum aut canonicum, eam brevitatem in argumentis sectatus fui, quam ferret locus et tempus.

Firmam autem esse hanc doctrinam ex his, quæ hactenus disputavi, nisi plurimum fallor, dabit quo-

tusquisque prudens et a præconstitutis opinionibus liber. Verumtamen, quum huc id ipsum exemplum canonicorum adduxerim, quo ostenderem solemnitatem votorum et imprimis paupertatis reponendam non esse in vi producendi effectus morales, id est incapacitatem dominii, directo demonstandum est eorum vota reapse fuisse solemnia.

Porro manifestum id fieri posse arbitror canone VII concilii II Lateranensis, quod Innocentius II celebravit, et quo (ut jam retuli) statutum est (1) « quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici et monachi atque conversi professi, qui, sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumerent, separarentur. » « Hujusmodi namque copulationem, addunt concilii patres, contra ecclesiasticam regulam contractam, matrimonium non esse censemus. »

At vero tunc temporis canonici, qui statuta Aquisgranensia pro lege sequebantur, æque dicebantur regulares ac qui inter se neminem admittebant qui vitam omnino communem non profiteretur et omnia sua bona in commune non conferret. Cujus rei vestigium adhuc reperio ad annum 1530 in Hispania. Tum scilicet canonici Tarraconenses,

(1) Ap. Labbe, Concilia, tom. X, col. 1003.

conscii se canonicos regulares esse, sed nescii se veterem disciplinam retinuisse ideoque illegitima sua instituta arbitrati, quod alios omnes canonicos regulares viderent bona sua abdicare, postularunt a Clemente VII ut capitulum suum ex regulari sæculare fieret, declarantes (1) « se a longo tempore citra, bona etiam patrimonialia in particulari possidere, ac fructus, redditus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum, per se pro tempore obtentorum, in suos usus convertere, necnon de bonis per se adquisitis disponere consuevisse, etiam nullo forte jure aut auctoritate sufficiente; » et certe pristina disciplina tum ita aboleverat ut nonnisi doctissimi ejus forte servarent memoriam. A sæculo enim XI pontifices Romani nullam fere omiserant occasionem quin vitam omni ex parte communem commendarent ; et qui eam sequebantur, ferventissimi erant in ea omnibus præscribenda ; adeoque extra salutis viam incedere dicebant eos, qui, licet statutis Aquisgranensibus innixi, suam non profiterentur paupertatem. Unde hi paulatim aut omnem abjecerunt proprietatem, aut prorsus sæculares facti sunt, nullis amplius votis nuncupatis. Atque

(1) Bulla Clementis VII, ap. Villanueva, Viaje literario, tom. XIX, pag. 253.

hinc ortum est demum discrimen inter canonicos regulares et sæculares : qua posteriori appellatione nemo usus legitur, antequam Eugenius papa III in epistolis XIX et XXVIII (1) ad B. Sugerium, S. Dionysii abbatem, in negotio canonicornm S. Genovefæ Parisiensium, (quibus prius monachos, dein canonicos regulares substituere Romano pontifici visum erat,) pristinos S. Genovefæ canonicos vocaverat *sæculares*. Alteram appellationem omnium primus adhibuerat paulo ante Innocentius papa II in concilio Lateranensi II. Verum de canonicis regularibus, quum renuntiantibus tum non renuntiantibus, vide imprimis opus Eusebii Amortii de Vetere disciplina canonicorum regularium et sæcularium, atque etiam scripta Scottorum de Culdeis ; nam et hos quoque canonicos fuisse, statuta Aquisgranensia aut alia similia professos, ex superstitibus monumentis plane liquet. Id unum ad me pertinet, canonicorum regularium, etiam non renuntiantium (nullum enim discrimen apparet in concilii Lateranensis statuto), professionem sacram declaratam fuisse impedimentum matrimonii dirimens eamque proinde solemnem fuisse ; unde sequi votum eorum paupertatis, licet in primo solum aut in secundo gradu consi-

(1) Ap. Labbe, Concilia, tom. X, col. 1063 et 1067.

steret (volunt enim dominium eorum fuisse ligatum), etiam solemne habitum esse; nisi quis velit (quod tamen mihi persuadere non possum) partim eorum vota fuisse solemnia, partim simplicia.

Qnum illo itaque ævo non requireretur omnimoda rerum terrenarum renuntiatio ut votum paupertatis solemne esset, via jam aperta est ad intelligendam decretalem epistolam, quæ mirum in modum vexavit vexatque adversarios et qua sententia nostra eximie confirmatur. Anno itaque 1212 Innocentius papa ad episcopos Ulyssiponensem et Conimbricensem has literas dedit (1): «Insinuante nobili muliere, nostro est apostolatui reseratum, quod a quibusdam curialibus fuit regi Legionensi pro ipsius copula supplicatum : quod cum ad consanguineorum ejus notitiam pervenisset, ut maritum acciperet, ei sub obtestatione regia suggesserunt : ipsa vero, quod tunc nollet nubere protestans, consilium accepit ab eis, quod votum emitteret castitatis ; quod in manibus cujusdam de fratribus S. Augustini fecit, *eo adjecto tenore ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret;* sane in ejusdem ordinis habitu biennio post permansit, licet id se invitam fecisse asserat

(1) Cap. *Insinuante,* Qui clerici et voventes, (lib. IV, tit. VII, cap. 7.)

et coactam, non tam metu regio quam parentum. Tandem attendens quod invita votum emiserit, eo dimisso de parentum consilio, P. Michaeli publice fuit matrimonialiter copulata : de quo quatuor sustulit filios tempore procedente. Nos igitur attendentes quod in emissione voti, quod præcessit, nulla vel modica coactio affuisset, quam patientia et perseverantia sequentis temporis penitus profugavit, et quod sequens conjunctio potius iniqua fuit et violenter extorta : mandamus quatenus, si præmissis veritas suffragatur, præfatam mulieren ad male dimissum religionis habitum reassumendum et servandum quod vovit, monere et inducere procuretis (si opus fuerit) per censuram ecclesiasticam coercere. »

Agebatur itaque de rescindendo matrimonio regio, repugnante rege : quod negotium grave fuisse omnique ex parte expensum neminem fugere potest. Quæstionis autem cardo in hoc vertebatur utrum mulieris votum eas haberet conditiones ut impedimentum esset matrimonii dirimens, scilicet an solemne esset et simul in religione approbata emissum, seu an mulier vere religiosa esset tribus solemnibus votis obligata. Affirmat Romanus antistes, jubetque ut censurarum etiam flagello a Legionensi rege separetur nobilis mulier et cogatur servare quod vovit, nempe ut sanctimonialis esset *in domo propria*

cum omni subtantia sua. Quo manifestissime patet posse aliquem, etiam juxta jus decretalium, solemniter professum esse, *retenta domo propria cum omni substantia sua*.

Quam consequentiam ut effugerent interpretes, a sententia nostra alieni, in varias abierunt partes: alii dixerunt vota nobilis mulieris fuisse simplicia; verum quando olim votum simplex matrimonialem contractum vitiavit? alii tenorem seu conditionem adjectam fuisse irritam, quod substantiæ solemnis professionis repugnet; id si ita esset, professio fuisset irrita, non conditio; præterea jubet pontifex a muliere servari quod vovit, scilicet cælibem vitam, in domo propria cum omni substantia sua agendam: alii autem per professionem mulieris dominium domus ejus et substantiæ translatum fuisse ad fratres S. Augustini aut certe ad sedem apostolicam, ita ut mulier habitaverit in domo aliena et ex substantia aliena; sed id non est canones explicare sed evertere. Quare Emanuel Gonzalez Tellez, literæ decretalium explanator longe doctissimus, rejectis illis omnibus interpretationibus, eo tandem devenit ut scripserit (1): « Existimo textum hunc exaudiendum juxta morem antiquum, juxta quem olim plures virgines et

(1) Commentaria perpetua in singulos textus quinque librorum decretalium, tome IV, pag. 97, Venetiis, 1699.

viduæ profitebantur vitam religiosam in domo propria, tantum obedientiam et castitatem promittentes, [et primum aut secundum paupertatis gradum;] quæ vota omni tempore fuerunt essentialia religionis. Attamen nec propriis renuntiabant, nec monasterium ingrediebantur... Unde cum nobilis, de qua in præsenti, non ingrederetur religionem, sed in domo propria castitatem et obedientiam promitteret, potuit propriam substantiam, id est bona omnia, retinere, juxta statum et conditionem earum, quæ in domo propria profitebantur. » Ubi, quæ uncinis inserui, omnino retinenda sunt, quoniam status religiosus sine tribus substantialibus (ut appellantur) votis de jure divino consistere non potest; quod a sexcentis, quum theologis tum jurisconsultis, demonstratum est; sed necesse non est, ne quidem ad professionem solemnem, quemadmodum ex illo capite *Insinuante* manifeste deducitur, ut omnis abdicetur proprietas et dominii incapacitas sequatur.

CAPUT UNDECIMUM.

OSTENDITUR DISPENSANDI USU IMPEDIMENTUM DIRIMENS VOTI SUPERVENISSE SOLEMNITATEM PROFESSIONIS RELIGIOSÆ.

Confici potest aliud argumentum ex dispensationibus pontificiis. Receptissima sententia est Romanum pontificem, quantalibet ejus sit auctoritas, in lege divina dispensare non posse; quoniam, quum omnis dispensatio legis relaxatio sit, manifestum sit a solo legis auctore cuiquam veniam fieri posse ut eam non observet. Quum itaque voti implendi obligatio lege naturali divina nitatur, nemini fas est

quempiam ab hoc officio liberum facere. Verum-enimvero nullane erit votorum dispensatio? Nulla, si scrupulose loquendum sit; neque quempiam novi qui umquam aliter senserit, nisi qui in omni jure, etiam naturali, ab hominibus dispensari voluerunt, verbis forte potius quam re refragantes. Quid itaque? Vana sunt tot rescripta Romana, quibus in votis solemnibus et simplicibus dispensatio facta est? Frustra episcopi et confessarii diœcesanorum et pœnitentium necessitati, quod minus prudentibus aut nimis arduis votis se implicuerant, remedium adhibuerunt? Nequaquam, si ex justa causa res acta est; sed quæ dispensatio proprie dicitur, non intercessit. Ecce ut res se habet.

Per hominum vota acquisivit sibi Deus certum jus, quod ei nemo auferre possit. Verum, ut ipse bonus dominus est et pater, non ita sui juris tenax est ut nolit id remittere, quum id ei præstari non nisi summa difficultate possit; multo magis, si per rerum temporumque vices fiat ut ejus honoris et gloriæ intersit, ut id ei non solvatur. Quod si ita res non sint comparatæ ut omnino juri suo cedere censendus sit, quum tamen jugum ejus suave sit et onus ejus leve, merito æstimatur ei placiturum, si quod desit, alia re suppleatur. Verum hæc uniuscujusque arbitrio permittenda non sunt; neque frustra ille qui dixerat: « Ego sum pastor bonus, »

Simoni Petro dixit : « Pasce agnos meos, pasce oves meas; » sed voluit hæc huic suo committere vicario. Hic itaque, ubi videt tot tantasque esse causas ut melius sit aut non minus bene vota non impleri, pro illa sua auctoritate Dei nomine voti obligationem relaxat ; ita ut non qua auctor legis aut divini juris dominus dispenset (quam potestatem non habet) ; neve qua divini juris explicator declaret, quum manifestum sit Deo reddenda esse vota ; sed qua divinæ benignitatis interpres procedat ; quod siquid causarum gravitati desit, dispensando (ut ajunt) commutat, aut commutando dispensat, seu nude commutat : ubi etiam *dispensatio* improprie accipitur.

« Eadem est omnino, ait Medina (1), ratio Richardi : putat enim æquissimam tunc dispensandi pontifici occasionem offerri in quocumque voto, sive simplici, sive solemni, earum rerum quæ supererogationis vocantur (ut sunt vota religionis), quando majoris boni profectus, aut mali vitatio, sive per comparationem ad rempublicam, cujus bonum unius hominis continentia majus est, sive per comparationem ad voventem refertur. Quæ ratio in hoc, quod publici boni promotionem et publici mali

(1) De sacrorum hominum continentia, lib. V, cap. 35, pag. 454.

vitationem causam dispensandi in voto solemni castitatis concludit, mihi maxime placet. In hoc tamen, quod boni peculiaris promotionem et mali item peculiaris vitationem ejusdem dispensationis esse causam contendit, si de voto simplici intelligatur, non refuto ; si tamen de voto solemni quoque (ut ejus verba prætendere videntur) accipiatur, quamquam eam quoque sententiam S. Thomæ in quarto Sententiarum (1) placuisse video, mihi omnino non probatur. Graviores enim multo causas ad voti solemnis quam ad voti simplicis dispensationem requiri, (quod per illum status, ut postea dicemus, mutatur ; per hoc contra non mutetur ;) negare non possumus. Fateor tamen, sic pergit, dispensationes religiosorum militarium, quæ nuper factæ sunt et quotidie fiunt, Richardum et S. Thomam a sua parte habere. Aperte enim Richardus scribit vehementem probabilitatem violationis voti causam esse dispensandi. Vitatio, inquit, probabilis transgressionis voti, si probabilitas sit vehemens, potest esse causa rationabilis dispensandi in quocumque supererogationis voto. » Et S. Thomas : « Si prælatus, inquit, videat expedire aliqua rationabili causa, vel propter ipsum qui vovit, vel propter alios,

(1) D. 38, ar. 4, q. 1.

quod votum non servet, potest eum ab observatione voti deobligare, qui alias de jure obligatus erat. »

Verum quotiescumque non nuda fit commutatio, sed dispensatio adhibetur, quæ non sit perpetua, quam primum dispensandi causæ cessant, manifestum est voti obligationem seu Dei jus reviviscere: quandoquidem nil inde remissum sit, nisi quantum justis suaderetur causis (1). Fert nempe vulgare parœmium, cessante causa, cessare effectum. Neque enim ipsum votum sublatum umquam fuit; (quæ voti absolutio, non autem dispensatio esset; aut, ut in scholasticis Societatis nostræ usuvenit, cessatio, quippe qui voveant cum clausula : « Quamdiu Societas me retinuerit, ») sed, quemadmodum explicuimus, pontifex aut qui alii per eum auctoritatem acceperunt, benignam Dei voluntatem interpretantes, concesserunt id servandum non esse donec justæ adessent causæ. Hinc passim, quando Romanus pontifex in voto castitatis, sive simplici, sive solemni, dispensat in ordine, ut ajunt, ad matrimonium, hanc fere adjicit legem (2) : « Ita quod si viro aut mulieri cui conjungetur supervixerit, vivat

(1) Sanchez, de Matrimonio, lib. VIII, disp. 31, num 8.
(2) Ibid. num. 2.

postea cælebs et in castitate, utpote eodem voto obligatus seu obligata. » Quare sicui monacho aut moniali dispensatio facta sit ut unas nuptias ineat, post conjugis autem mortem novum tentet matrimonium, neque licite id facit, neque valide.

Similis casus in ipso Corpore juris canonici legitur quo quam splendidissime præsens argumentum illustratur. Anno 1186 scripsit ad priorem sanctæ Crucis Urbanus papa III (1): « Ex parte abbatis sancti Petri ad audientiam nostram pervenit, quod, cum D. in infirmitate positus, consentiente uxore, votum vovens castitatis, monachalem habitum suscepisset, postmodum liberatus uxorem retinuit, et aliam, ea defuncta, sibi temere copulavit. Quia vero, licet prædictus D., uxore sua remanente in sæculo, de jure ad religionem nequiverit proficisci, ea tamen sublata de medio, votum sine salutis suæ periculo non potuit violare : mandamus quatenus, si verum est, quod asseritur, prædictum D. per excommunicationem compellas, ut, muliere dimissa, ad suum monasterium revertatur, sub regulari habitu de cætero Domino serviturus. » Quod caput rectissime in ipso decretalium libro hanc in sum-

(1) De conv. conjug. cap. *Ex parte,* (lib. III, tit. XXXII, cap. 9.)

mam contrahitur : « Conjugatus, faciens professionem, uxore consentiente, licet numquam intraverit monasterium, si, mortua conjuge, cum alia contrahat, non valet matrimonium, et monasterium intrare compellitur. » Nam quod bene dicitur posterius matrimonium non valere seu irritum esse, id ex Urbani papæ verbis colligitur, quibus altera mulier dimitti jubetur. Unde liquet viri illius professionem, etiam soluto priori matrimonio, firmam fuisse adeoque solemnem ; secus enim posterioris conjugii impedimentum non fuisset dirimens. Verum id quoque observandum est eum, quamdiu uxor, licet in professionem ejus consensisset, in sæculo maneret, ad religionem proficisci nequivisse, neque abstinere potuisse a solvendo debito conjugali ; quod sexennio ante Alexander III ad episcopum Hungarum jam scripserat (1). Interea tamen fas neutiquam ei fuisse id debitum exigere ex alia ejusdem Alexandri decretali (2) epistola satis constat. Valida itaque erat hujus viri traditio, qua se Deo donarat, licet uxor corporis ejus retineret potestatem ; neque matrimonii usu prorsus ei interdictum

(1) De convers. conjug. cap. *Præterea,* (lib. III, tit. XXXII, cap. 1).

(2) De convers. conjug. Cap. *Quidam,* (lib. III, tit. XXXII, cap. 1).

erat, quum conjugale debitum non solum posset, verum reddere deberet. A castitatis tamen voto atque ejus obligatione nequaquam liber erat, ita ut petere non posset uxorios amplexus : unde patet non solum matrimonii vinculum, verum etiam matrimonii usum cum professione religiosa consistere posse. Ast hæc solemnis non erat ! Quid ergo matrimonium subsequens diremit? Ubi, quæso, in universo jure volam aut vestigium reperias, quo indicetur vota viri esse simplicia, donec uxor sæculo decedit ; fieri solemnia, quum ipsa castitatem profitetur aut diem obit?

Quæ si bene perspecta sint, facile explicatur eorum conditio qui, solemniter religionem professi sed ad unas nuptias celebrandas a Romano pontifice veniam justis de causis assecuti, uxore mortua, novum frustra ambiant matrimonium. Perstitit scilicet eorum votum, etiam quum in legitimo matrimonio essent ; sed ex divina benignitate, eis pontificia auctoritate communicata, ab ejus obligatione fuere liberi, quamdiu uxor viveret ; qua defuncta, vim suam iterum exserit votum et pristina obligatio reviviscit. Nisi enim ita esset, seu si votum ipsum sublatum fuisset aut modo qualicumque evanuisset, quid est quod novis nuptiis arceantur? Ast mansit votum ; sed, viva legitima uxore, simplex fuit ! Quid ergo, mortua uxore, denuo solemne est? Mira res ! Valet uxoris mors ad solemnitatem addendam votis sim-

plicibus! Sed ita decrevit ecclesia, quæ votis simplicibus addere potest vim dirimendi subsequentia matrimonia, quin etiam decernere vota simplicia deinceps fore solemnia! Fac ita esse; sed ubi locorum id umquam decrevit ecclesia? Utique decreta ecclesiastica pro causæ necessitate excogitanda non sunt, sed referenda.

Hinc intelligitur qua significatione accipienda sint quorumdam jurisperitorum verba, dicentium Romanum pontificem, dispensando in voto solemni castitatis ex monachis facere non monachos; scilicet a regulæ monachalis jugo eos absolvit, quemadmodum de monachis, ad episcopales infulas vocatis, in Corpore canonici juris (1) legitur; qui dein episcopi sint et simul religiosi, non tamen monachi. Dein Dei nomine suspendit obligationem eorum servandi voti castitatis, sed minime tollit ipsum votum. Præterea indulget ut religiosi sint in sæculo atque in ipsa matrimoniali conditione; sed nequaquam eos transfert a statu religioso ad sæcularem, nisi, perpetuam dispensationem impertitus, ea simul utatur auctoritate, cui statum regularem omnino subesse initio docuimus. Quod si hanc potestatem exserit, vota quidem permanebunt firma atque

(1) Causa XVIII, 9. 1, cap. *Statutum est.*

etiam solemnia :(quod enim factum est infectum fieri nequit ;) sed traditio religiosa rescindetur, ut quum ager ab usibus sacris ad profanos ecclesiæ auctoritate transit; et qui ea ratione ad sæculum translati fuerint, similes erunt viris sæcularibus, qui se castitatem, paupertatem et obedientiam absque sui in vitam religiosam traditione servaturos Deo promiserint, seu etiam presbyteris Missionis qui secundum S. Vincentii de Paula instituta et Romanorum pontificum decreta vota substantialia religionis faciunt, sed in statum religiosum non admittuntur, quod ab eis vel nulla fit traditio, vel, siqua fit, ab ecclesia non agnoscitur; unde presbyteri sæculares, nequaquam regulares sint. Qui vero religiosi ea ratione sæculo redditi fuerint, quum omnino a statu religioso exciderint et votum solemne castitatis matrimoniales tabulas non solvat, nisi qui eo obligatur in hoc statu sit; non videtur dubium quin validum ineant matrimonium.

Qua occasione advertat lector præcipuam argumentationem, qua complures theologi demonstrare conantur in votis solemnibus religionis a Romano pontifice dispensari non posse, nequaquam niti natura votorum eorumve solemnitatis, sed traditionis; quod scilicet, quod semel Deo consecratum sit, profanum fieri nequeat. Verum quotidie multæ res mobiles et immobiles, divino cultui dicatæ, eccle-

siæ auctoritate in alios convertuntur usus; nec quidquam est quare religiosorum traditio, (quæ certissime ecclesiasticæ jurisdictioni obnoxia est, nisi velis statum religiosum ab ea alienum esse,) immutabilis conditionis sit.

Postquam hæc, quanta potuimus diligentia, explicuimus, redeundum est ad religiosos, quibus ecclesia justis de causis indulsit legitimas nuptias semel inire. Qui vim irritandi matrimonii subsequentis in ipsa solemnitate votorum constituunt, necesse est ut fateantur votum per dispensationem vel omnino perire, vel simplex fieri per matrimonium et iterum solemne per uxoris mortem : si prius, non intelligitur quomodo quod periit et evanuit, uxore mortua, denuo vivat; si posterius, mira adstruitur metamorphosis : quæ quibus placitura sit, vix novi. Sin autem impedimentum matrimonii, quod votis solemnibus religiosorum annexum est, in ecclesiæ decreto reponatur, nil difficultatis est. Tollit ecclesia impedimentum, quod ipsa constituit, ut religiosus matrimonium semel valide inire possit; cujus professio matrimonio non destruitur, sicut nec propinquitas consanguineorum, nec votum simplex eorum, qui id in sæculo facerent; uxore mortua, cessat dispensatio et ecclesiæ decretum, quo solemniter professi a matrimonio arcentur, nativam suam vim explicat.

CAPUT DUODECIMUM.

OSTENDITUR ITEM DISPENSANDI USU RELIGIOSOS PROFESSOS NON PROPTER VOTORUM SOLEMNITATEM INCAPACES ESSE DOMINII.

Verum considerandæ etiam sunt dispensationes, quæ religiosis, solemniter professis, in legibus de paupertate concessæ fuerunt a sancta sede apostolica. Illustria dumtaxat exempla aliqua referam, præmisso uno, quod non tam dispensatio quam ἐπιείκεια dicenda sit.

In consistorio, quod die tertia nonas octobris anni XIX Mauricii imperatoris, Christi 601, S. Gregorius Magnus celebravit, prodiit Probus abbas,

petitionem præ manibus habens postulansque ut recitaretur; annuente pontifice, Paterius eam legit (1) : « In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi, imperante domno Mauricio Tiberio piissimo Augusto, anno 14, post consulatum ejusdem domini nostri 13, die tertio kalend. octobris, indictione quarta. Ea quæ nunc beatitudini vestræ intimare desidero olim domino meo bene comperta sunt, vestramque mihi conscientiam testem esse scio quæ suggero; quoniam dum ante hos annos ex laico ad religiosum migrassem officium, disposueram in cellula mea super me solitarius habitare, ibique paucis diebus qui supersunt vitam transigere : propter quod nec aliquid de substantiola mea ante ordinavi sive disposui, sciens tam ab intestato quam ex testamento filium mihi posse succedere. Quadam autem die, dum inter alios ad obsequia domini mei fuissem ingressus, subito atque inopinato introire in monasterium, atque ut onera abbatis debuissem suscipere præcepistis. Statimque surgentes, non indulto ad deliberandum vel tractandum mihi spatio, ad monaterium jam cum monachis ambulare coactus sum. Unde quia nihil antea quod de substantiola mea

(1) App. ad S. Gregorii epistolas, num. IX, ap. Migne, Patrologia, tom. LXXXII, col. 1345 et seqq.

occurrit potui ordinare ; idcirco lacrymabiliter supplico, ut, concessa per constitutionem vestri decreti licentia, fas mihi sit de omnibus rebus meis voluntatem meam disponere, quatenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio pauperi possit esse damnosa. Nam cunctis notum est quia illos legalis sanctio quidquam de substantia sua prohibet, postquam monasterium ingressi fuerint, ordinare, quibus disponendarum rerum suarum suppetit ante licentia; non autem eos, quos ad hoc, quod nunquam tractaverant, præpositorum suorum parere cogit instantia. Quia sicut legis voluntas hoc ex deliberatione facientibus contradicit, ita eis qui compelluntur a majore succurrit. Hanc autem suggestionem supplicationemque meam Æmiliano notario sanctæ ecclesiæ Romanæ noto meo scribendam dictavi, eique propria manu ego Probus servus vester subscripsi, et vobis beatissimo domno meo Gregorio papæ porrexi. Ego Probus servus vester huic petitioni a me oblatæ subscripsi. Gregorius dixit : Postqnam textus oblatæ petitionis nobis innotuit, Probus abbas paulisper abscedat, ut de his quæ petit cum fratribus filiisque nostris quid statuendum sit deliberare possimus. Quo recedente, postquam diu de ejus petitione tractatum est, dixit : Probus abbas, quem abesse paululum feceramus, rursus adveniat, ut ea quæ nobis cum fratribus filiisque nostris in commune

visa sunt censeamus. Cumque præsentatus fuisset, dixit : Ubi veritas cum ratione concordat, desideria petentis implere non minus justum est quam benignum. Perpensa igitur serie a te petitionis oblatæ, omnia quæ in ea locutus es, ita esse recolimus. Neque enim vel in nostram unquam antea cogitationem ascenderat, ut in quocunque monasterio abbatis tibi curam debuissemus injungere. Sed quodam die, dum de ordinando monasterio, cui præsse dignosceris, cum nostris filiis tractaremus, atque diu aptam personam huic officio quæreremus, ex improviso te ingrediente, cordi nostro et eorum qui nobiscum ad tractandam aderant subito natum est ut te illic abbatem Deo propitio constituere deberemus. Quod quia renitenti tibi constat impositum, et voluntatis tuæ rigorem vix nostræ potuerunt adhortationes inflectere, necesse fuit, ne forte habere potuisses post spatium redeundi, ut jam ordinatum abbatem ad ipsum te monasterium, cujus nec monachus fuisti, antea mitteremus. Ne ergo hæc obedientia vel dilectioni tuæ tristitiam vel aliis possit inferre jacturam universas res tuas alienandi, vel ut volueris disponendi liberam tibi per hujus constituti nostri tribuimus statuta licentiam. Per quam eam te in disponendis eis ut tibi placuerit habere noveris facultatem, quam habere poteras antequam monasterium introires. Nec quidquam tibi abbatis officium, quod,

sicut dictum est, repente ac invitus nosceris suscepisse, formides obsistere, quia ut in ordinandis disponendisque rebus tuis non haberes licentiam, dilectionem tuam, ne post se rediret nostra, ut diximus, coegit instantia. Proinde ne qua te dubium faciat de his quæ volueris ordinare suspicio, nullum unquam ecclesiæ nostræ vel monasterii tui, sive quolibet nomine alio ex monachicæ conversionis statu vel abbatis officio, quocunque ingenio, vel cujuslibet excusationis specie, contra præsentis seriem constituti venire posse decernimus ; sed tamquam si ingressus monasterium non fuisses, ita omnia quæ de universa facultate tua ordinaveris, disposuerisve illibata et sine aliqua, Deo auctore, statuimus refragatione servanda. »

Recepta itaque tum erat Justiniani de monachorum bonis lex et ab ecclesia approbata, adeoque volunt, qui a sententia nostra recedunt, tum primum solemne fuisse factum religiosorum pauperpertatis votum. Quod si dem (licet dandum non esse satis superque supra demonstratum sit,) nil tamen proficitur. Neque enim Probus, neque S. Gregorius Magnus intellexerunt difficultatem sitam esse in effectu morali necessario seu incapacitate, a solemnitate voti inseparabili, sed « quia monachos legalis sanctio quidquam de substantia sua prohibet, postquam monasterium ingressi fue-

rint, ordinare; » nam ante, etiamsi « ex laico ad religiosum migrassent officium, » si « disposuissent in cellula solitarii habitare, » (quæ eremitica professio non minus monastica et religiosa erat quam cœnobitica,) poterant pro veteri more res suas retinere et filiis hæreditario jure relinquere. Plane itaque his confirmatur prohibitionem possidendi non niti solemnitate voti, sed « legali sanctione. »

Omni tempore moris fuit religiosos professos ad episcopalem dignitatem promovere; qui ubi canonice instituti fuerint, ab aliis dicuntur beneficii sui fructus facere suos, ab aliis eorumdem dumtaxat administratores esse, licet de iis disponere possint non aliter ac beneficiarii sæculares; ab aliis demum ambo tituli conjunguntur (1). Cui controversiæ implicari nolim. Verum quidquid de ea statuatur, certum est episcopatum adeptos remanere religiosos, etiamsi Petri cathedram conscenderint; dein jam pridem usitatum esse ut, cum licentia Romani pontificis (quæ, ni fallor, negatur numquam), testamentum ex beneficiorum fructibus condant. Quod siquis formulam videre velit, qua hæc potestas fit, is adeat Pyrrhum Corradum (2). Id unum ego ani-

(1) Cfr Pyrrhus Corradus, Praxis dispensationum apostolicarum, lib. X, cap. IV, num. 1 et seqq.

(2) Ibid. loc. cit.

madvertam hanc veniam latissime patere et ab ea, quæ episcopis sæcularibus datur, hoc uno differre, quod hæc interseruntur verba : « Quare nos volentes te qui, ut asseris (vel ut accepimus), antequam ecclesiæ N. præficereris, ordinem fratrum S. N. expresse professus fueras. » Jam vero, sive dum viverent fructus vere facerent suos, sive administrarent dumtaxat, id certum est (nisi universa lingua humana subvertatur) testamentum actum proprietarii esse, non autem administratoris. Verum episcopi regulares hæc cum licentia faciunt et proinde nomine alterius. Sed imprimis *nomine alterius agere* et *cum licentia* synonyma non sunt, nec quisquam umquam cogitavit episcopos regulares loco Romani pontificis testamenta facere; deinde non alia est eorum licentia ac episcoporum sæcularium; et tertio cum superioris licentia disponere de bonis, quocumque modo alicujus facta sint, pertinere ad secundum paupertatis gradum, non autem ad quartum ; in quo qui consistunt incapaces sunt possidendi, multoque magis disponendi per actum ultimæ voluntatis ; qui summus dominii apex est.

Inter S. Francisci de Borgia gesta, unum valde memorabile, huc maximopere facit. Quum enim statuisset sæculo renuntiare, neque differre vellet suam divino obsequio dedicationem, donec liber esset, convenit inter eum et S. Ignatium ut a Paulo

papa III postularentur arcanæ literæ, quibus sibi liceret professionem solemnem facere et quatuor deinde annos ducatum suum aliaque beneficia retinere et administrare. Assensit Romanus pontifex; atque his verbis se Deo consecravit beatus vir (1): « Yo Francisco de Borja, duque de Gandia, pecador abominable y indigno de la vocacion del Señor, y de aquesta profession, confiado de la benignidad del Señor, del qual espero que en este punto me serà propicio, hago voto solemne de pobreza, castidad y obediencia, conforme al instituto de la Compañia, por privilegio que me ha embiado el P. Ignacio, preposito general, por lo qual ruego a los angeles, y santos del cielo, que sean mis protectores y testigos, y lo mismo pido a los Padres y Hermanos, que estàn presentes. En Gandia, dia di san Ignacio, a primero de Febrero de mil y quinientos y quaranta y ocho. »

Verum, licet quadriennium ei concessum esset, tanta diligentia res omnes suas composuit, ut intra duos annos ordinatæ fuerint. Id unum eum vexabat quod « timebat ne umquam obtinere posset ab imperatore Carolo V licentiam renuntiandi suo sta-

(1) Alvaro Cienfuegos, la Heroyca vida del grande S. Francisco de Borja, lib. III, cap. VIII. §. 2, pag. 143, Madrid, 1717.

tui. » Vicit tamen suam causam apud pientissimum principem; et jam Romam profecturus, testamentum suum condidit. Sed id breve fuit: quum enim marchesium matrimonio collocasset et tribus filiabus suis de statu providisset, distributis inter eos bonis quæ dividi possent, non omissis famulis, et sibimet copioso legato pio constituto, vix aliud in testamento consignare poterat quam se omnia dedisse et se jam a marchesio suo filio repræsentari (1). Hæc Alvarus Cienfuegos. In quo negotio, ut apparet, SS. Ignatius et Franciscus Borgia atque etiam ipse Paulus papa III secuti sunt sententiam Felini, Decii, Baldi et aliorum, dicentium « non esse inconveniens religiosum professum retinere dominium ad breve tempus (2). »

Quid ad hæc? An quod interea ducatum suum et reliqua sua bona non suo, sed filiorum nomine conservarit? Verum, quum pleraque feudalia essent, pro voluntate in filium transferre non poterat; quin etiam duobus annis post factam professionem anxius erat ne imperator non consentiret. Fuerit ipse habens, tamquam non habens animo; inde vinculum proprietatis non solvitur, sed per traditionem,

(1) Ibid. cap. X, §. I, pag. 152 et 153.

(2) Ap. Haunold, de Justitia et jure, tom. I, tract. IV, cap. 1, contr. I, num. 14, pag. 301.

modo qualicumque factam. At vero, quum secretam suam vellet professionem, ne filio quidem quod mente servabat aperiebat. Quodsi iterum dicatur licentiam intercessisse Romani pontificis, iterum respondebo hunc non quartum esse paupertatis gradum, sed secundum.

Nil autem fere jam tritius quam literæ in forma brevis datæ a Pio papa VI ad monialem carmelitanam, nomine de Soyecourt, quibus confirmata est licentia, ei a superioribus concessa, recipiendi opulentam hæreditatem et emendi, salvo jure alterius, pristinum conventum Carmelitarum, tot martyrum sanguine consecratum; addita in fine clausula: « firma substantia voti solemnis paupertatis; » ita ut hæc omnia facere potuerit, quin substantia voti solemnis paupertatis aliquid detrimenti passa fuerit.

Quum autem tempestas reipublicæ gallicanæ desæviiset et religiosis, ex suis expulsis monasteriis, providendum esset, concessit Pius papa VII episcopis latissimas facultates (1). Quarum specimen esto sequens, ad diœcesim Mechliniensem spectans.

« Joannes-Armandus de Roquelaure, miseratione divina et sanctæ sedis apostolicæ gratia archie-

(1) Cfr. Lequeux, Manuale compendium juris canonici, tom. IV, pag. 441; et Mélanges théologiques, 1848-1849, pag. 522.

piscopus Mechliniensis dilecto nobis in Christo *Joanni Baptistæ Claes, religioso ordinis Capuccinorum, diœcesis nostræ presbytero, salutem in Domino.*

« Concedimus tibi per præsentes litteras, apostolica expressa authoritate benigne indulta, 1° facultatem libere et licite remanendi in sæculo, in habitu convenienti et sub jurisdictione et obedientia legitimi ordinarii existentis; firmo tamen manente perpetuæ castitatis voto; insuper legitimum patrimonium, si alium titulum non habeas, quamprimum tibi constituendi, assignatis interim pro titulo missarum eleemosynis;

« 2° Successive assequendi, dummodo alias sis idoneus, unum ecclesiasticum beneficium, sive residentiale, sive animarum curam adnexam habens, et canonice collatum, illiusque munia obeundi, emolumenta fructusque ex eo percipiendi, iisdemque ad honestam sustentationem, licitosque usus fruendi licite et libere;

« 3° Cujuscumque generis bona, sive hæreditario jure, sive alio justo titulo obvenientia, recipiendi et retinendi; illorum fructibus ac rebus ipsis ad honestam sustentationem licitosque usus fruendi et gaudendi, atque de illis ad catholicæ religionis bonum et pauperum levamen, servato charitatis ordine erga propinquos et respective confratres indigentes, aut ad aliam honestam causam et propriam utilitatem

per actus inter vivos, ut, quatenus expediens visum fuerit, etiam per actus mortis causa, licite et libere disponendi. Probibemus tamen judicialiter agere pro bonorum consecutione, nisi necessitas aliter postulaverit, et tunc remoto scandalo, si quod exoriri posse timeatur.

« 4° Insuper commutamus obligationem horas canonicas recitandi juxta rubricas tui respective ordinis, in quotidianam recitationem earumdem juxta probatum ritum Breviarii diœcesis, in qua commoraris : si vero ratione beneficii, canonice collati, choro assistere tenearis et valeas, per hujusmodi commutationem ab assistentia choro minime exemptus habearis.

« 5° Authoritate apostolica liberum et solutum te declaramus ab omni observantia peculiarinm regularum et statutorum tui respective ordinis.

« 6° Denique confessario tuo ordinario licentiam concedimus te absolvendi ab omni paupertatis voti transgressione, quatenus opus sit, cum congrua pœnitentia.

« Datum Mechliniæ sub nostris signo, sigilloque, ac secretarii nostri subscriptione, die 28 mensis januarii anni 1804 (die 7 mensis pluviale anni XII.)

† J.-A. Arch. Mechliniensis.

Locus sigilli.

De mandato,

J.-B. Van Vreckem, Secret.

Quibus autem religiosis professis hæc licentia facta est, ii nequaquam se a votis solemnibus absolutos arbitrati sunt, neque ab aliis sunt habiti; adeoque qui ex eis postmodum claustra repetierunt, numquam auditi sunt se novis vinculis obligasse; neque enim mentio ulla facta erat de tollendo voto solemni paupertatis.

Quam documentorum seriem tandem claudere juvat duobus responsis Romanis, omnium forte luculentissimis. Prius ad moniales Gallas pertinet.

Quum scilicet superior seminarii Nannetensis sacram pœnitentiariam adiisset de monialium negotiis, die 28 novembris anni 1818 id responsum accepit (1) : « Quod vere spectat ad veteres Galliarum religiosas, de quibus secundo loco dictus superior consulebat, quæque, cum olim votum solemne paupertatis emiserint, deinde secundum civiles leges bona aut civiles reditus acquisivere, et nova monasteria ingrediuntur, sacra pœnitentiaria ut earum conscientiæ provideat, proprio earum ordinario facultatem impertitur, ut ipsas apostolica auctoritate dispenset, adeo ut, non obstante solemni paupertatis voto, quod olim nuncuparunt, bona ac

(1) Carriere, de jure et justitia, part. I, sect. I, cap. IV, num. 214.

reditus, quos hactenus acquisivere, retinere possint, necnon de ipsis in pios et honestos usus disponere valeant, adhibito in hanc rem proprii confessarii consilio, et cum ejus approbatione : præfatæ tamen religiosæ bonorum suorum usumfructum ac reditus, siquos habent, teneantur communitati tradere in qua morantur. »

Alterum de monialibus Belgii est. Quum enim gubernium Guilielmi primi, regis Hollandiæ et Belgii, jussisset anno 1820 canonicabus regularibus Bruxellensibus, vulgo de Berlaimont, ut ordinis regulæ et constitutiones sibi exhiberentur, ut in posterum novitiæ ad vota dumtaxat quinquennalia admitterentur et ut nulla monialis bonorum suorum abdicaret dominium aut jus acquirendi, administrandi et disponendi; hæc omnia sibi non licere arbitratæ sunt pientissimæ sodales : quæ tamen earum felicitas fuit, secutæ fuerunt consilium ut sanctæ sedis judicio id negotium permitterent. Commendata itaque hæc res sacræ pœnitentiariæ, cui tum præerat Michael cardinalis di Pietro, juris canonici et theologiæ peritissimus, vir nequaquam mollitiei suspectus aut nimiæ indulgentiæ et lenitatis ; quippe qui Napoleonis primi imperio ex selecto illo grege semper fuerit, cui nil umquam tempori dandum visum sit. Habe itaque responsum, cujus latinum exemplar non reperimus, sed versionem dumtaxat gallicam,

quam primus edidit Ven. V. Dominicus Bouix (1).

« A nos chères sœurs en Jésus-Christ, les religieuses du diocèse de Malines qui ont consulté le Saint-Siége. — La sacrée Pénitencerie ayant, par ordre de sa Sainteté, mûrement considéré et examiné ce qui avait jeté ces religieuses dans de grandes inquiétudes et perplexités, leur répond par ce rescrit et espère qu'elles se tranquilliseront.

« 1° Quoiqu'il leur soit pénible d'être forcées à exhiber au gouvernement leurs statuts, dans lesquels il n'y a rien qui se rapporte au civil, la sacrée Pénitencerie déclare néanmoins aux suppliantes qu'il leur est permis de céder en ce point aux ordres du gouvernement, car ce n'est pas de leur propre mouvement qu'elles le font, mais parce que le gouvernement les y force, sous menace même de la plus grande peine, la dissolution et extinction de leurs communautés religieuses, si elles ne présentent leurs statuts avant le 1er janvier prochain. Or, ces religieuses ne faisant cela que malgré elle et par force, on aurait tort de les soupçonner de reconnaître dans le gouvernement quelque suprématie ou pouvoir en matière ecclésiastique.

(1) Tractatus de jure regularium, part. III, cap. 3, tom. I, pag. 419 et 420.

« 2° Voyant que le gouvernement veut absolument que les religieuses se conforment au vieux décret du 18 février 1809, qui leur donne la propriété, la possession et l'administration des biens qui leur sont échus, la sacrée Pénitencerie accorde aux religieuses qui ont déjà fait leur profession solennelle, en vertu de l'autorité expresse du Saint-Siége, la permission d'acquérir, de posséder et d'administrer des biens et d'en disposer à des fins honnêtes et pieuses, en gardant la subordination nécessaire à l'égard de leurs supérieurs légitimes.

« 3° La sacrée Pénitencerie voit bien que dans ce vieux décret et dans la lettre du directeur des affaires du culte catholique, comme on l'appelle, il est défendu aux nouvelles religieuses de faire des vœux solennels, et qu'on veut que les anciennes religieuses ne permettent plus qu'il s'en fasse de pareils dans la maison ; mais elle ne trouve pas dans ces pièces, ni dans les autres envoyées à Rome, ce que craignent les suppliantes, savoir, l'ordre d'obliger expressément ces nouvelles religieuses à ne point émettre des vœux solennels. Au reste, en vertu de l'autorité expresse du Saint-Siége, eu égard aux circonstances où se trouvent les suppliantes, on permet que dans leurs maisons on ne fasse plus que des vœux simples et temporaires.

« 4° Dans ce décret mentionné plusieurs fois, et

dans la lettre susdite, l'empêchement qu'on met à l'émission des vœux solennels ne regarde pas les anciennes professes, qui ne doivent plus faire de vœux, mais les nouvelles religieuses qui en feront dans la suite. Donc si, à cause des circonstances on a quelque égard au décret et à cette lettre, les anciennes religieuses ne doivent pas craindre qu'elles ne paraissent par là se détruire elles-mêmes et renoncer à leurs vœux solennels.

« Enfin la sacrée Pénitencerie accorde aux religieuses qui feront des vœux simples et temporaires la même permission, touchant leurs biens, qu'elle a accordée ci-dessus aux religieuses professes.

« Donné à Rome, dans la sacrée Pénitencerie, le 20 novembre 1820. — Michael card. di Piétro. — J. Pio, secrétaire de la Pénitencerie. »

Nil hac responsione excogitari potest luculentius : agebatur de monialibus, quarum longe major pars professionem solemnem fecerant, priusquam Belgium Gallicanæ reipublicæ pars facta esset, aliæ imperio Napoleonis, aliæ Guilielmo rege ; ita ut de ejus firmitate, maxime primarum, nullum moveri posset dubium neque moveretur ; versabatur dein quæstio non de fictitia proprietate, sed de vera, qualem intelligebat gubernium regium : atque ad haec nomine pontificis Romani respondit sacra pœnitentiaria licere monialibus, solemniter professis, regio

decreto obedire, adeoque acquirere nomine suo bona, eadem possidere et administrare, atque etiam ad honestos et pios usus expendere, rationem tamen habentibus obedientiæ, præpositis legitimis debitæ; neque per hanc clausulam quidpiam de vera proprietate detrahebatur, quandoquidem eadem lex statuebatur monialibus, quæ quinquennalia dumtaxat et simplicia vota emissuræ erant et quas nemo sanæ mentis (non secus ac scholasticos Societatis nostræ, qui etiam jubentur in dispensandis suis bonis auctoritatis præpositorum rationem habere) vere proprietarias fuisse negaverit.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

REFERUNTUR MULTA VOTA SOLEMNIA, EX QUIBUS NULLA ORITUR INCAPACITAS AUT EFFECTUS MORALES.

Sequitur jam alia argumentorum series, quam, ubi de Suaresii sententia agebam, indicavi tantummodo, significans me alibi assertis meis fidem facturum. Ut itaque promissis meis stem, dabo jam elenchum votorum, sine controversia solemnium, quibus effectus morales aut incapacitates nullæ tribui possint, sed quorum omnis solemnitas ab interventu magistratus ecclesiastici et singulari confirmatione repetenda sit.

Primum exemplum esto quartum votum Minimorum de perpetua vitæ quadragesimalis custodia. Tetigit id votum Suaresius, non ut explicaret quomodo pro suis placitis solemne id esset, sed ut revocaret in dubium seu potius obscure negaret ejus solemnitatem. Et quidem si id votum solemne sit, quin aliquid de substantiali illa solemnitate, quam primus excogitavit Suaresius, habeat, universa ejus institutio vacillet necesse est; quum hinc certum fiat votum solemne esse posse, unde non creetur toties illa decantata actuum contrariorum infirmitas; et idcirco hanc infirmitatem de essentia esse non posse voti solemnis; neve in ea, sed in confirmatione ecclesiæ constitui ipsam solemnitatem. Sive enim simpliciter, sive solemniter voveas, te numquam carnibus, ovis et lacticiniis usurum, quod discrimem erit? Quam potentiam perdes, si solemniter, quam servabis, si simpliciter te obliges? Id explicare, ut jocando voluisset Suaresius, numquam tentarunt Minimi, quorum nil intererat; quippe qui solemniter voverant se carnes non comesturos, nequaquam se conciliaturos Suaresii placita cum solemni hoc suo voto. Qui alius id conatus fuerit, novi neminem; neque puto umquam aliquem futurum. Verum en paucis hujus voti vices.

Anno 1493 S. Franciscus de Paula efflagitarat ab Alexandro papa VI approbationem novæ regulæ,

cujus capitulum quintum hoc habet exordium (1): « Cibi nostri durante vita nostra sint quadragesimales tam in locis et conventibus, quam etiam extra; nec aliqui carnes, nec ova, caseum, aut lacticinia alia, modo aliquo seu tempore, demptis infirmis, et hoc de consilio medici, comedere licitum sit. » Noluit tamen hic stare beatus vir et anno 1506, paulo ante mortem, jussit capite primo novæ regulæ (2), quam quartam appellant Minimi, ut discipuli sui « sub obedientiæ, castitatis, paupertatis et quadragesimalis vitæ sacris votis perseveranter vivere promitterent. »

Non placuit omnibus novum votum; quapropter anno sequenti in capitulo generali Romano deliberatum est an lex quadragesimalis vitæ confirmaretur quarto voto, tribus aliis substantialibus addito (3): quod quum gravissimis verbis comprobasset Marcus Vigerius, vulgari vocabulo cardinalis Senogalliensis, nomine Julii papæ II præses, omnes de geniculis, coram eo advoluti, quartam regulam et votum qua-

(1) Lanovius, Chronicum generale ordinis Minimorum, pag. 32.

(2) Holstenii, Codex regularum, edit. de Brockie, tom. III, pag. 25.

(3) Lanovius, Chronicum, p. 129.

dragesimalis vitæ ultro professi sunt (1); quam institutionem cum multis aliis anno proxime sequenti Julius papa II literis, sub annulo piscatoris datis, ratam habuit (2). Quæ licet post mortem tantum S. Francisci usu recepta fuerint, ei tamen merito in bulla canonizationis anno 1519 a Leone papa X adscripta sunt, quartæ regulæ verbis revocatis in memoriam, scilicet (3) ut « sub obedientiæ, castitatis, et paupertatis, quadragesimalisque vitæ sacris votis perseveranter vivere profiterentur. » Quæ vota *solemnia* dixere non solum Romani pontifices, quum, nulla adhuc mota quæstione, securius loquebantur, verum ipse Gregorius papa XV ea *solemnia* nuncupavit, postquam de votorum solemnitate tanto fervore ob Societatis nostræ leges disputatum erat, atque ipse Suaresius et Pontius singularem suam de hoc capite proposuerant doctrinam. Accipe Gregorii verba, excepta ex bulla, qua anno 1623 monasterium monialium Minimarum apud Abbatisvillam in Galliis erexit (4): « Omnes habitum religiosum, per sorores moniales aliorum monasteriorum monialium ejusdem ordinis, in Hispania et Italia erectorum et

(1) Ibid., pag. 135.
(2) Bullarium ord. Minimorum, p. 60.
(3) Ibid., pag. 90.
(4) Bullarium ord. Minimorum, p. 61.

institutorum, gestari solitum, suscipere et elapso probationis anno professionem, per easdem moniales emitti consuetam, paupertatisque, castitatis et obedientiæ ac vitæ quadragesimalis SOLEMNIBUS votis se astringere... debeant et teneantur. » Neque id in fine prætereundum, votum id quartum nequaquam absolutum esse : omni enim tempore carnes manducare licuit Minimis ex consilio medici; et postea etiam, quum in longo itinere essent constituti (1); ita ut nihil hic habeas quod cum Suaresiana definitione conveniat. Neque dici potest Romanus pontifex de solemnitate accidentali solummodo locutus esse; conjungit enim uno orationis membro cum tribus votis substantialibus religionis; unde non potest alio sensu de uno, alio de reliquis id verbum adhibuisse, nisi humani sermonis leges subverterit.

Secundum exemplum habemus in hac ipsa nostra Societate; cujus homines, qui professi quatuor votorum dicuntur, « præter tria vota, ut in Examine (2) legitur, votum faciunt expressum summo pontifici, ut vicario, qui nunc est vel pro tempore fuerit, Christi Domini nostri, nimirum ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico, quo-

(1) Holstenii, Codex regularum, tom. III, pag. 85.
(2) Cap. I, § 5.

cumque gentium ejus sanctitas jusserit, inter fideles vel infideles, ad res, quoad divinum cultum et religionis christianæ bonum spectat; » quod votum non solum a S. P. Ignatio, verum etiam a Gregorio papa XIII in Constitutione *Ascendente Domino* solemne vocatur: « Quartum similiter, ait, solemne addunt speciale (votum) summo pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ. » Qua vero, quæso, in re versabitur hujus voti substantialis solemnitas? Non potuit hac in parte ad Minimos ablegare lectorem Suaresius; sed nil habet quod ipsimet satisfaciat. « In hoc voto, inquit (1), probabile est, totam ejus solemnitatem consistere in traditione omnino irrevocabili ex utraque parte, promissioni adjuncta, quam de se ipso facit persona profitens, se vere tradens in dominium religionis; » quasi Fratres doctrinæ christianæ votis simplicibus se in dominium religionis non traderent traditione ex utraque parte irrevocabili. Sed pergit Suaresius; « Sic enim professus Societatis specialiter se tradit in dominium et potestatem pontificis; quam servitutem tota ipsa religio participat per hanc professionem et quam fideliter per hoc votum servare promittit. » Verum quum

(1) Tractatus de religione Societatis Jesu, lib. VI, cap. IV, num. 39.

scholastici nostri per vota simplicia Societati se tradant eique mancipentur, plane necesse non erat ut professi quartum id votum solemniter ederent, quo in singulare Romani pontificis dominium et potestatem devenirent et universa Societas hanc participaret servitutem. Sensit insuper Suaresius necesse esse, ne disciplina sua ruinam faceret, ut per solemne id votum alicujus rei impos fieret professus. Additit itaque : « Sicuti in solemni voto obedientiæ, ita subditur voluntas religiosi voluntati prælati ut desinat esse sui juris ; atque ob eam rem omnes contractus, facti a tali religioso, vel nulli sint, vel rescindi a superiore possint : ita cum proportione de hoc voto dicendum est : nam in ordine ad missiones, atque adeo ad habitandum in hoc vel illo loco, ita est professus alieni juris ut quidquid efficere vel contrahere velit, illi obligationi repugnans, validum esse non potest. » Verum, quum, ut Constitutiones nostræ habent, « nostræ vocationis sit diversa loca peragrare et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi magis Dei obsequium et auxilium animarum speretur ; » quumque hæc lex non modo professis, verum etiam scholasticis et fratribus coadjutoribus posita sit ; fac aliquem scholasticum Belgam, votis solummodo simplicibus obligatum, polliceri parentibus se numquam iturum in Gallias, Italiam seu etiam Americam ; eritne uspiam in uni-

versa Societate nostra aut in ulla schola theologica vir, aliquantisper doctus, qui cassam non pronuntiet hanc promissionem, etiamsi juramento firmata esset? qui non statuat peccati mortalis reum fore scholasticum illum, si, objecta hac fide data parentibus, renuat pergere quo jusserint superiores? Quid? quod contractus, adversus justas leges civiles initi, nullius sunt roboris? Nil itaque est in solemni quarto professorum voto quod non sit aut esse possit in voto simplice; dicendum itaque superest in hoc uno positam esse solemnitatem quarti nostri voti, quod ecclesiæ auctoritate et interventione id firmatum est.

Tertium exemplum esto quartum votum solemne Clericorum regularium infirmis ministrantium. Quum scilicet Gregorius papa XIV novum hunc ordinem approbatione sua confirmaret, constituit (1) ut « statim ac renunciatus generalis fuisset, quatuor votorum professione, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis et, quod præcipuum hujus instituti scopum continet, perennis ministerii ægrotantium solemniter se obstringeret, tumque apud ipsum aut eum, cui is hoc negotium dederit, eodem modo

(1) Cosmi Lentii Annalium relig. cler. reg. inf. ministrantium pag. 154.

profiterentur omnes qui specimen sui dedissent et idonei ac digni judicati fuissent.» Quare die 8 decembris ejusdem anni S. Camillus de Lellis, primus generalis præpositus, in manibus episcopi Epidaurensis hanc solemnem quatuor votorum professionem fecit(1): «Ego Camillus de Lellis profiteor et sollemniter voveo Domino nostro Jesu Christo et tibi, illustrissimo domino ex commissione apostolica in hac functione speciale mandatum tenenti, coram sanctissima Virgine, ejus matre, et universa curia cælesti, perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam et perpetuo inservire (tamquam præcipuum nostri instituti ministerium) pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit, juxta Formulam vivendi, contentam in apostolicis literis nostræ religionis ministrantium infirmis, et in ejus Constitutionibus, tam editis jam quam in posterum edendis.» Ad quæ legatus pontificius subdidit : « Et ego Paulus Alberus potestate, qua fungor, accepto tuam professionem in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.» Eodem ritu ipse S. Camillus continenter viginti sex inter suos sodales ad eamdem quatuor solemnium votorum professionem admisit. Atque iterum in quarto illo de infirmorum ministerio solemni voto

(1) Ibid., pag. 165.

nil reperire est, quod in simplice non sit, nisi quod auctoritate ecclesiastica id confirmatum est et mediatore magistratu publico celebratum.

Quartum exemplum proxime ad tertium accedit et est quartum Fratrum S. Joannis de Deo solemne votum, quod ad hospitalitatem pertinet. Varia horum fratrum fuit fortuna : prius ordinibus religiosis accensi fuere ; quo titulo quum plures ex eis ad ordines sacros fuissent promoti aliisque eodem aspirantibus, negligerentur eorum hospitales domus, prohibuit Clemens papa VIII ne quis deinceps ulla vota faceret nisi de hospitalitate curanda. Hæc constitutio in Hispania nullam vim habuit et res veteri more compositæ. Retulit hæc anno 1611 Petrus, frater major congregationis Hispanicæ ad Paulum papam V, qui statuit (1) ut fratres Hispani, « anno eorum probationis elapso ac alias juxta sacrorum canonum et decretorum concilii Tridentini, tria vota, videlicet obedientiæ, castitatis et paupertatis ac insuper quartum serviendi infirmis in suorum superiorum manibus solemniter emittere omnino tenerentur; hujusmodi autem personas, quæ elapso probationis anno quatuor prædicta vota solemniter emiserint vere ac

(1) Magnum Bullarium Romanum, tom. III, pag. 294. Luxemburgi, 1727.

proprie religiosos esse, ac pro talibus ab universis Christi fidelibus habendos et recipiendos; » ad quam gratiam participandam idem Paulus V fratres congregationis Italicæ sexennio post admisit (1). Hi autem concipiunt formalia hæc verba (2) : « Nel nome del nostro Signore Gesù Cristo benedetto. L'anno della nascita dello stesso mille..... il dí..... del mese N. jo Fr. N. Figliuolo di N. N. del luogo N. della parrochia N. faccio professione e prometto all'omnipotente Iddio, e alla B. Maria vergine, e al B. P. N. Agostino e a voi P. N. che siete presente in nome del padre nostro generale e a suoi successori, canonicamente eletti, obedienza, povertà castità e perpetua ospitalità di servire a poveri infermi tutto il tempo di vita mia e osservare le costituzioni dell'ordine del P. N. S. Giovanni di Dio sotto la regola del P. S. Agostino. E in fide mi sono sottoscritto di propria mano. Questo dí, e anno, come sopra. — Jo Fr. N. N. mano propria. » Quæ qui adstat superior confirmat his verbis : « E jo a nome e parte del nostro P. Generale N. e per la autorità che hò accetto la vostra professione e vi unisco

(1) Ibid, pag. 395.

(2) Holstenii Codex regularum, edit. Mariani Brockie, tom. VI, pag. 335.

al mistico corpo della nostra religione. In nome del Padre, Figliuolo e Spirito Santo. Amen. »

Quintum exemplum accipiam ex Constitutionibus Fratrum R. V. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum, quas anno 1691 singulari diplomate confirmavit Innocentius papa XII (1). In his hæc leguntur (2): « Super tria prædicta vota essentialia, quæ omnibus religionibus sunt communia, quartum sibi ordo noster adhibuit circa redemptionem captivorum. Vi cujus sic ad animarum lucra et libertatem spiritualem totam dirigit redemptionem sensibilem ut pro redimendis animabus a periculis abnegandæ fidei et damnatione perpetua omnes suos fratres vinculis, sanguini, vel etiam morti subjiciat... Declaramus insuper hoc votum essentiale, quia nostrum ordinem inseparabiliter in sua specie et substantia constituit ex vi primævæ institutionis; quam sanctus patriarcha noster Petrus Nolascus voti obligationem continere voluit et expressit a totoque ordine sic intelligi : sicut ita perpetuo professi sunt patres nostri et opere compleverunt. » Et inferius (3) : « Rursus declaramus professionem in ordine nostro debere semper fieri

(1) Ibid. tom. III, pag. 437 et seqq
(2) Ibid. pag. 464.
(3) Ibid. pag. 481.

solemniter in manu prælati. » Quæ solemnis quatuor votorum professio hac fit forma (1) : « Ego frater N., filius ex legitimo matrimonio N. et N. in loco N. natus et procreatus, facio professionem et promitto obedientiam, paupertatem et castitatem observare Deo et beatissimæ ac immaculatæ virgini Mariæ atque beato parenti nostro divo Petro Nolasco et tibi N. commendatori hujus domus N. regalis ordinis ipsius immaculatæ virginis Mariæ de Mercede redemptionis captivorum vice reverendissimi P. N. magistri generalis et successorum ejus secundum regulam S. P. N. Augustini et constitutiones prædicti ordinis, prout in eis continetur : eroque obediens tibi et successoribus tuis usque ad mortem : et in Sarracenorum potestate in pignus (si necesse fuerit) ad redemptionem Christi fidelium detentus manebo. » Dein prælatus professi manus suis claudens, post pauca monita, dicit : « Damus ei communem societatem vivendi nobiscum, quantum a Domino possumus promereri et nostrum est largiri. » Ex commendatoris vocabulo olim hunc ordinem militarem fuisse conjecerit procul dubio lector ; atque hæc multorum est certissima sententia ; et quidem sæculo XIV ineunte, quod magi-

(1) Ibid. pag. 484.

sterium penes sacerdotes factum esset, hinc recessisse milites, qui Equites de Montesa dicti sint, regulæ S. Augustini substituta Benedictina. Horum professioni hæc erat solemnis forma (1) : « Ego N., miles S. Mariæ de Mercede et Redemptione captivorum, facio professionem et promitto obedientiam, paupertatem, castitatem servare, Deo vivere et comedere secundum regulam S. Benedicti : et in Saracenorum potestate, si necesse fuerit ad redemptionem Christi fidelium, detentus manebo. » Ipsæ moniales Mercenariæ quartum solemne votum, immutatione aliqua pro sexus necessitate introducta, fecerunt ; hac scilicet formula usa est S. Maria de Soccos seu de Cervellione (2) : « Ego soror Maria de Cervello promitto Deo, beatæ Mariæ de Mercede seu Misericordia virginitatem, paupertatem, et obedientiam et pro captivis redimendis laborare et quidquid visum fuerit patri nostro pro eis præstabo. »

Sextum exemplum dabunt Fratres SS. Trinitatis redemptionis captivorum, qui duce P. Joanne Baptista a Conceptione in Hispania ordinem suum ad

(1) Ibid. pag. 435.

(2) Ribera, Centuria primera del instituto de la religion de nuestra señora de la Merced, pag. 250.

meliorem formam reduxerunt. His visum est quarto solemni voto omnem ambitioni viam intercludere : quod anno 1609 his verbis probavit Paulus papa V (1) : « Quoniam religiosos inter alias humilitatis præcipue virtutem habere oporteat, eadem auctoritate apostolica statuimus et ordinamus, quod dictæ congregationis fratres, qui de cætero profitebuntur, ultra alia vota, tempore ejusdem professionis emittenda, aliud votum etiam emittant, videlicet se directe vel indirecte, per se aut per alios, intra dictam congregationem, prælationem aliquam aut officium, per constitutionem prætendi prohibitum, nunquam prætensuros; et pariter extra eamdem congregationem neque indirecte, per se aut per alios, ullam prælationem prætensuros vel oblatam accepturos, nisi præcepto ejus, qni eis præcipere poterit, adstringantur; professi tamen, si voluerint, juxta eamdem formam idem votum emittant : discernentes super hujusmodi voto dispensari minime posse, neque illud commutari, non secus ac cætera substantialia vota religionis. » Quo decreto, rectissime inquiunt ordinis historici (2),

(1) Bullarium magnum, tom. III, pag. 281.

(2) Didacus a Matre Dei, Chronicorum discalceati ordinis SS. Trinitatis, pars I, linguæ latinæ mandata per P. Florianum a S. Josepho, pag. 198.

Paulus V id votum « pro solemni declaravit eidemque vim cæterorum trium votorum essentialium concessit. » Hæc itaque est formula, Romæ probata, qua chorales Trinitarii excalceati in professione utuntur (1) : « Ego frater N. de N. facio meam professionem et promitto obedientiam, castitatem et paupertatem sanctissimæ Trinitati, B. V. Mariæ et SS. PP. nostris Joanni et Felici, necnon et nostro R. P. Fr. N. de N. ministro generali aliisque meis superioribus ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis redemptionis captivorum eorumque successoribus secundum regulam primitivam dicti ordinis , a fel. record. domino papa Innocentio III stabilitam et a piæ memoriæ domino papa Urbano VIII ad perfectiorem formam redactam, et secundum constitutiones ejusdem ordinis sine mitigatione usque ad mortem. Præterea promitto me directe vel indirecte, per me aut per alios, intra nostram congregationem prælationem aliquam aut officium, per constitutiones prætendi prohibitum , mihi numquam prætensurum, et pariter extra nostram congregationem neque directe, neque indirecte, per me aut per alios, ullam prælationem prætensurum vel oblatam accepturum, nisi præcepto ejus, qui

(1) Holstenii Codex regularum, etc. tom. VI, pag. 228.

mihi præcipere poterit, adstringar ; » quæ professio in manibus alicujus prælati ecclesiastici facienda est. Verum quum in Societate nostra professi simplex votum faciant, simile huic quarto atque etiam nonnihilo amplius et severius, non potuit Suaresius non dicere quare id juxta placita sua simplex, non autem solemne sit. Cujus rei quinque proposuit causas (1), scilicet voventes non intendere vovere solemniter; hoc voto caveri incommoda in futurum, non stabiliri præsentem religiosam traditionem ; in hoc voto non medium essentiale ad finem instituti esse positum, sed tantum secundarium ; minorem esse hujus voti solemnitatem accidentalem et demum hujus voti nullum esse effectum moralem præter vim obligandi adeoque deesse omnino solemnitatem substantialem, qua actus contrarii infirmi fiant. Verum quum solemne sit Trinitariorum Excalceatorum quartum votum et pars professionis, liquet plane quantum a pontificiarum constitutionum rationibus diversa sint, quæ pro arbitrio suo de votorum solemnium et simplicium natura primus in medium attulit Suaresius. Ex secunda enim, tertia et quinta inter causas, ob quas votum de vitando

(1) Tractatus de religione Societatis Jesu, lib. VI, cap. XI, num. 2.

ambitu in Soceitate nostra vult esse simplex, fieret ut simplex etiam esset quartum Trinitariorum congregationis reformatæ Hispanicæ. Verumtamen id maxime animadvertendum, quod fatetur nullum effectum moralem ex illo voto proficisci præter vim obligandi.

Septimum exemplum ejusdem generis est atque iterum ex constitutionibus eorumdem Trinitariorum, anno 1730 literis in forma brevis a Clemente Papa XII confirmatis, receptum. Voluit scilicet Alexander Papa VII anno 1663 ut fratres laïci quarto voto se in solemni professione constringerent, quo via eis præcluderetur ad statum clericalem. Hi itaque hanc formulam adhibent (1) : « Ego frater N. de N..... usque ad mortem. Præterea promitto me numquam transiturum ad statum clericalem, aut recepturum primam tonsuram, neque directe vel indirecte, per me aut per alium, dictum transitum sive receptionem prætensurum. » Quis itaque effectus moralis addetur quarto huic voto per solemnitatem, quacum nuncupatur?

Octavum exemplum præbet forma professionis Clericorum regularium scholarum piarum, annis 1659 et 1683 a capitulo generali indicta, deinde sæ-

(1) Holstenii Codex regularum etc. tom VI, pag. 229.

pius corfirmata et usu recepta : in qua, quod initio eorum vota fuerant simplicia, dein a Gregorio XV facta solemnia, ab Alexandro VII iterum simplicia et demum a Clemente IX rursus solemnia, bis ipsa eorum conditione de sæcularі in regularem mutata, singularis quaedam renuntiatio fit « quibuscumque in contrarium existentibus. » Sed quod huc magis pertinet, illi in professione præter tria consueta religionis vota, duo alia solemniter nuncupant; scilicet de « pia et literaria puerorum disciplina et de humilitate, abdicando a se quocumque directo vel indirecto ambitu, cum onere solemni ambientes quoque religioni seu generali præposito revelandi (1). » Quorum posterius iisdem conceptum est verbis, quibus pars votorum simplicium, quæ in Societate Jesu a professis quatuor votorum fiunt et quæ non posse esse nisi simplicia Suaresius, dogmate suo de solemnitate votorum obstrictus, asseveranter docuit. En verba (2) : « Ego N. a S. N., in sæculo N. N., patria N., die C., N. annum agens, facio meam professionem solemnem in religione Clericorum regularium pauperum Matris Dei scholarum piarum, et voveo omnipotenti Deo, Patri, Filio et Spiritui sancto, ac Deiparæ semper virgini Mariæ et tibi patri

(1) Ibid. pag. 463.
(2) Ibid. pag. 464.

N. a S. N., præposito nostro generali et omnibus successoribus tuis, legitime eligendis, paupertatem, castitatem et obedientiam et juxta eam peculiarem curam circa puerorum eruditionem secundum formam brevis Pauli V, in nostris constitutionibus contentam; quam professionem et vota, quibuscumque in contrarium existentibus, quibus nunc libere et integre renuncio, non obstantibus, firma, rata et valida semper fore et esse volo. In quorum fidem etc. Insuper promitto etiam me numquam acturum nec curaturum, ne indirecte quidem, ut in aliquam prælationem seu dignitatem in religione eligar seu promovear. Promitto etiam me numquam curaturum extra religionem dignitatem aliquam seu prælationem; nec consensurum, nisi coactus sim obedientia ejus, qui mihi præcipere potest sub pœna peccati. Tum siquem certo (*a*) sciam aliquid prædictorum duorum curare vel prætendere, promitto illum remque manifestaturum religioni seu ejus præposito generali. Vota mea Dominus reddam coram omni populo ejus, in atriis domus Domini in medio tui, Hierusalem. Ego N. a S. N. omnia supradicta confirmo manu propria. »

Nonum exemplum esto professio fratrum laïcorum

(*a*) Vocabulum *certo* deest in formula Societatis Jesu

ejusdem instituti (1) : « Jo N. di S. N., nel secolo N. N., del luogo N., diocesi N., d'anni... faccio la mia professione solenne per fratello operario laico nella religione de Chierici regolari poveri della Madre di Dio delle Scuole Pie ; e prometto all'onnipotente Iddio, Padre, Figliuolo e Spirito Santo et alla beatissima sempre vergine Maria et a voi, Padre N. di S. N. Nostro preposito generale et a vostri legitimi successori, e faccio voto di povertà, castità ed obedienza : et anco prometto e faccio il quarto voto di non ambire lo stato clericale, ne alcuna voce attiva ò passiva, nè portar chierica, nè beretta sino alla mia morte : la qual professione e voti, non ostando qualunque cosa in contrario, alle quali tutte adesso liberamente et intieramente rinuntio, intendo e voglio che siano rati e validi in ogni tempo. In fede etc. Renderò li miei voti etc. Jo N. di S. N. confermo quanto sopra di mano propria. »

Id fratrum operariorum votum solemne esse et similiter choralium votum puerilis disciplinæ et alterum humilitatis, res manifestissima est : fiunt enim in ipsa professione, quemadmodum S. Josephus de Calasanctia jam animadverterat (2); deinde « vota so-

(1) Ibid. pag. 464.
(2) Ibid. pag. 454.

lemnia » vocantur in formulis annuæ renovationis, tum clericorum, tum operariorum, anno 1659 a capitulo generali conceptis (1); et demum Joannes Franciscus a S. Petro, præpositus generalis, in Parænesi, quæ synopsis constitutionum, sæpius a sede apostolica confirmatarum, pars est, alteram « solemnem humilitatis promissionem » appellat, et alterum « solemne scholarum votum (2). » Dolet tamen mihi formulam primævam vovendi, et a Gregorio XV probatam, mihi deesse, quod eam ab illa aliquantulum diversam esse ex pessimo libello (3), anno 1783 Hallæ in Saxonia edito, intellexi.

Decimum erit votum clausuræ, quod moniales S. Claræ simul cum tribus substantialibus his verbis in sua professione concipiunt (4) : «Ego soror N. N. voveo et promitto Deo et B. Mariæ virgini et B. Claræ et omnibus sanctis et tibi, mater, toto tempore vitæ meæ servare formam vitæ sororum pauperum S. Claræ traditam etc., vivendo etiam in obedientia, sine proprio et in castitate, servando clausuram per ordinis constitutionem; » quod, ut

(1) Ibid. pag. 465.
(2) Ibid. pag. 454.
(3) Ordens-Regeln der Piaristen, pag 100 et 108.
(4) Pellizarius, Tractatio de monialibus, cap. IV, num. 4.

advertit Pellizzarius (1), communis sensus voventium et recepta consuetudo per tot sæcula pro voto singulari habent : quo modo doctores communiter tradunt moniales S. Claræ teneri ad clausuram sub voto. Quare non dubitat ille (2) quin hæ moniales, « exeuntes e clausura sine debita facultate, duo peccata committant; » alterum inobedientiæ contra legem ecclesiasticam, alterum sacrilegii contra religionem. Quum autem id votum in solemni professione fiat, non potest non esse solemne ut quartum votum vitæ quadragesimalis Minimorum. Aliæ moniales quam S. Claræ idem votum muncupant in Belgio his verbis : *sous clôture perpétuelle* ad memoriam potius pristini instituti quam ut usuveniat.

Undecimum exemplum præbent vetera monumenta Clericorum regularium S. Pauli Decollati, quibus vulgare nomen Barnabitæ est. Iis non semper eadem profitendi ratio fuit. Anno 1533 Clemens papa VII (3) professionem trium votorum substantialium religionis, eamque publicam et solemnem

(1) Idid. loc. cit.

(2) Ibid. num. 24.

(3) Barelli, Memorie della congregazione de'chierici regolari di S. Paolo, chiamati volgarmente Barnabiti, tom. I, pag. 92.

biennio post Paulus papa III (1) indulserat; verum plerique simul profitebantur se ad summam nisuros perfectionem; adeoque hanc formulam, quæ est Joannis seu religioso nomine Pauli Melsi, aliquando universi sodalitii generalis præpositi (2), usurpabant : « Jesus Christus crucifixus amor meus. Jo Don Paolo Melso faccio professione al nostro signore Christo, alla gloriosa vergine Maria, a S. Paolo apostolo, alli nostri santi Padri, ed a voi Padre mio ed a tutti gli altri, che mi saranno di tempo canonicamente superiori, di semplice ubbedienza sino alla morte, e cosi prometto di vivere in continua e perpetua povertà, e castità di mente e di corpo, e d'abbraciare il colmo della perfezzione perfetta secondo le constitutioni che terranno i figliuoli di S. Paolo Decollato di questa congregazione de chierici regolari. Amen. Alli ventiquattre di decembre 1543. » A selectis aliquot viris culmen perfectionis solemniter promitti absque temeritate poterat: sed ab omnibus tam arduum votum fieri non sinebat prudentia : quare, Julio III et Gregorio XIII pontificibus, mos ille sublatus est, et tria solum substantialia religionis vota nuncupata (3); jussumque (4) ut « post professionem, ex-

(1) Ibid. pag. 109.
(2) Ibid. pag. 277.
(3) Ibid. pag. cit.
(4) Holstenii codex regularum, etc. tom. V, pag. 457.

tra solemnem tamen actum, juraret statim clericus professus, verbis ita conceptis : « Idem N. testem invoco Deum quod neque præpositi dignitatem, neque aliquod officium, quod hujusmodi dignitati ex constitutionibus præferatur, mihi mandari curabo. Neque item aliquam dignitatem eodem modo extra congregationem quæram, aut sine præcepto summi pontificis accipiam. »

Atque ex producto hoc et immodico forte catalogo liquet quam recte ad quæsitum an tantum tria sint vota religionis solemnia responderit Azor : « Durandus in 4, d. 38, q. 3, docet simplex votum a solemni distingui in hoc, quod solemne votum in triplice tantum materia consistit, castitatis, paupertatis et obedientiæ, cum tamen simplex [circa] omnem materiam vagetur: certe hæc Durandi sententia, nisi mitius exponatur, cum veritate et ratione non congruit. Nam licet jure communi antiquo, quod religionum instituta servant, tantummodo sint tria vota solemnia, in quem sensum nos Durandi opinionem accipimus, novo tamen jure nil impedit, quin solemnia in aliis quoque materiis versentur. In Societate nostra, ut ex ejus Constitutionibus constat, quatuor vota solemnia professi faciunt, dum solemni professione pollicentur obedientiam, paupertatem, castitatem et specialem aliam Romano pontifici in missionibus obedientiam. Deinde quid impedit quo-

minus Carthusienses monachi solemne votum emittant abstinendi a carnibus, quod votum nunc ex lege et instituto servant? Quid item obest quin Minimorum religio quartum solemne votum emittat abstinendi perpetuo a carnibus, ovis, lacte et caseo? Nam Palacius in 4, d. 38, disput. 2, testatur Minimos facere quartum votum solemne, quo promittunt se numquam usuros nisi cibis quadragesimalibus : et idem insinuat Navarrus Consil. tom. I de regularibus, consil. 10 de eo; quod, dum professionem emittunt, una cum aliis tribus votis solemnibus quartum hujusmodi faciunt. Postremo quid obstat quominus religio instituatur, in qua fiat quartum votum solemne de militando contra fidei catholicæ hostes, aut de inserviendo pauperibus et ægrotis in hospitali domo et locis causa pietatis exstructis?» Quare, ut cum eodem Azorio concludam, quum votum solemne sit et dicatur sola ecclesiæ constitutione, unde ei vis et robur adjungatur, « jure novo potest ecclesia constituere ut sint plura pro varietate materiæ; nam dum solemni celebritate professio emittitur, possunt plura alia sponderi quæ tamquam solemnia vota ecclesia probet, rata et accepta habeat.» Hæc toto cælo distant a Suaresii institutione, qua nullum votum solemne dici queat, nisi actus contrarii ex ipsa solemnitate vani aut infirmi sint: verum in illis omnibus effectum hunc moralem, quem

vocat, frustra quæres. Non minus distant a præceptis thomisticis et Gregorii de Valentia, quibus solemnitas in traditione perfecta constituitur : quid enim traditionis est in voto solemni de observanda vita quadragesimali et aliis id genus? Sed hæc satis sunto.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

EXAMINATUR AN EXPOSITÆ DOCTRINÆ OBSTET CAPUT « CUM AD MONASTERIUM. »

Adversus universam præceptionem nostram unum, ni fallor, argumentum, quod vim aliquam habeat, proponitur et proponi potest. Id autem depromitur ex capite *Cum ad monasterium,* quo Innocentius papa III anno 1213 meliori ordine res Sublacensis monasterii instituit, atque hæc de pau-

pertate præscripsit (1) : « Firmiter inhibuimus, ne quis de cætero monachorum lineis camiseis uteretur. Prohibuimus quoque districte in virtute obedientiæ sub obtestatione divinii judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat ; sed siquis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur, nec accipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quodsi proprietas apud quempiam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. Unde si, quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed abbati vel priori, vel cellario assignetur... Nec æstimet abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare : *quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam iudulgere.* »

Verum enim vero hic achilles est, quo non nostra

(1) Cap. *Cum ad monasterium*, de statu monachorum, (lib. III, tit. XXXV, cap. 6.)

solummodo impetitur sententia, sed quo ab aliquibus statuitur penes ipsos Romanos pontifices potestatem non esse dispensandi in votis solemnibus castitatis et paupertatis eaque de jure divino esse ; quin etiam hoc capite maxime nitebantur qui scholasticos Societatis nostræ non vere religiosos esse dicerent, quod bonorum proprietatem non abdicarent. Ad quæ effugienda incommoda alii in alias vias deflexerunt.

Fuere qui dicerent privata præcepta fuisse, ad Sublacenses monachos data ; in quo rerum genere errare posse Romanos pontifices consentire etiam theologos ultramontanos ; et reapse errasse Innocentium. Verum licet plerique theologi concedant fidei capita dicenda non esse singularia Romanorum antistitum decreta, etiamsi Corpore juris claudantur, minus tamen religiosum est hoc scuto id telum avertere.

Quapropter aliis visum est ibidem sermonem non esse de Romano pontifice, sed de episcopis ; hos enim, etiam Innocentii III ævo, dictos fuisse *summos pontifices, summos sacerdotes* ; tum etiam pleraque monasteria subdita fuisse episcopis ; quorum quum auctoritas major esset quam abbatum, recte ab Innocentio factum fuisse argumentum *a fortiori;* et proin hoc decreto nullos fines constitui auctoritati apostolicæ sedis : sed id parum juvare videtur,

quoniam qui id ponunt, censent tum Romanæ sedi nondum reservatam fuisse potestatem dispensandi in votis substantialibus religionis. Præterea ubi Romanus antistes utitur verbis : « Nec summus pontifex possit, » manifeste de se suisque successoribus loquitur : neque uspiam, maxime in Romanis literis, verba *summus pontifex,* absolute et in singulari, episcopum ullum designant nisi Romanum pontificem.

Aliis itaque placuit per abdicationem proprietatis non intelligi abdicationem dominii, cum, etiam retento dominio, possit esse vera religio, sed abdicationem usus sine licentia prælati: id enim appellare pontificem « vivere sine proprio. »

Sed neque hanc pontificis mentem fuisse contenderunt alii ; verum eum locutum esse in sensu composito, non autem diviso ; scilicet eum non posse indulgere ut quis, manens monachus, simul sit proprietarius ; sed facere posse ut quis prius desinat esse monachus et dein, quum amplius monachus non est, proprietatem acquirat. Admisit hanc interpretationem aliquando Suaresius (1); sed paulatim inde recessit (2) ; quin etiam, ut venit ad statum scholasticorum Societatis, quos volebant re-

(1) De religione, tom. III, lib. II, cap. 17, num. 8.
(2)Lib. VIII, cap. 18, num. 16; et lib. IX, cap. 25, num. 17.

ligiosos non esse, quoniam proprium non abdicarent, aperte profitetur (1) « per distinctionem illam in sensu composito et diviso videri maxime procedere objectionem ; » quare advertit primo pontificem non loqui de religioso statu absolute, sed de monacho ac monachatu ; facile autem se daturum abdicationem omnis proprietatis esse essentialiter annexam statui monachali; nam « ex vi suæ regulæ tale votum postulari ; » præterea « ideo fortasse usum esse pontificem in illo textu illis verbis : « Ut « contra eam nec summus pontifex possit licentiam « indulgere, » quod voto solemni monachi obligati sint, et prius ab eo absolvendos esse quam matrimonium inire et proprietatem adipisci possint. Verumtamen , quum dispensent summi pontifices etiam in voto solemni castitatis, ita ut unum matrimonium contrahere possint monachi, postea vero idem votum, etiam non renovatum, impedimentum matrimonii dirimens sit, nequaquam sublata videtur difficultas. Utut id est, non placuere omni ex parte Suaresio illa sua responsa ; quare secundo addidit « pontificem formaliter potius quam materialiter loqui ibi de proprietate, quæ præter dominium etiam includit usum rei, ut propriæ; imo revera

(1) Ibid. tom. IV, lib. IV, cap. 4, num. 15.

magis loqui de hoc usu, quam de radicali dominio ;» quocirca hæc non adversari conditioni scholasticorum Societatis, radicale quidem dominium habentium, non autem usum rerum, ut propriarum. Verum, quum hæc omnia torta et intricata sint, nolim iis diutius immorari (1) ; et similiter omitto quæ alii aliter super hoc capite disputaverunt, satis habens unam sententiam declarare, quæ multorum sit et méo judicio unice vera.

Scilicet pro usu et consuetudine sui temporis scripsit Innocentius III « se non posse. » Etenim, quum Romani pontificis auctoritas ad ædificationem, non ad destructionem sit instituta, omnium primum ejus officium est ecclesiasticas leges observandas curare; atque hæc ordinaria ejus potestas et jus est. Hinc, quum eo tempore non ita dudum abolita esset pœnitentia publica ; quum jurisconsultorum glossæ, quas tam inimicas habuit Pius papa IV ut vetuerit fieri in concilii Tridentini capitula, non-

(1) Cfr Basilius Pontius, de Matrimonio, lib. VII, cap. 10, pag. 426 et seqq. Gonzalez Tellez, Commentaria in decretales, lib. III, tit. XXXV, cap. 6, tom. III, pag. 531 ; et Commentarius in Concil. Illiberitanum, in can. XIII, ap. d'Aguirre, Concilia Hispaniæ, tom. II, pag. 177; et ibid. Mendoza, cap. XXXI, pag. 172 et seqq. ; Medina de Sacrorum hominum continentia, lib. X, cap. 53, pag. 472 et seqq.

dum ita excrevissent ; quumque præsertim schisma occidentale non exstitisset, quo habenæ omnino deinde laxatæ fuerunt ; multo severior tum erat ecclesiastica disciplina : ita ut, licet pauca aliqua exempla dispensationum in impedimentis matrimonii, v. g. in tertio aut quarto consanguineitatis et affinitatis gradu et alia id genus referantur (1), passim tamen, etiamsi principum et regum causæ agerentur, nollent Romani pontifices consentire, dicentes se non posse, non præsumere, non audere : quin etiam si dictis stare nollent illi, interdicto aliisque gravissimis pœnis utebantur, magna regnorum perturbatione ; quod hæc minus malum videretur quam disciplinæ vulnus inflictum.

Quam rem, licet historiæ peritis non possit non esse notissima, uno Innocentii III exemplo demonstrabo. Ad annum scilicet 1198 hæc tradit Rogerius de Hoveden (2) : « Defuncto Cælestino [III], Innocentius papa III substitutus iterum suspendit Aldefonsum, regem de S. Jacobo (seu Legionensem in Hispania), et totam terram suam a celebratione divini officii, propter uxorem suam, filiam regis

(1) Vide Binterim, Denkwürdigkeiten, tom. VI, part. II, 497 et seqq.

(2) Acta SS. tom. VII Maji, pag. 293.

Castellæ ; erant enim consanguinei in tertio gradu. Et licet rex ille de S. Jacobo obtulisset domino papæ et cardinalibus viginti millia marcarum argenti (immensam pecuniæ ut illo ævo copiam), et obtulisset tenere ad stipendium ducentos milites per unius anni spatium ad defensionem Christianorum contra paganos, tali conditione ut dominus papa permississet eis insimul morari, donec Deus daret iis sobolem, saltem per tres annos, noluit tamen dominus papa in hoc illis consentire ; » licet, quæ nunc gravissimæ viderentur, dispensationem fieri suaderent causæ, maxime quod pleræque regiæ domus communitate sauguinis se contingerent, atque illud matrimonium vinculum pacis in Hispania esset (1). Neque mitius egit idem Innocentius in Burchardum de Avesnis aliosque.

Pro principio scilicet et lege receptum tum erat (2) : « Id possumus, quod jure possumus ; » quod quidem olim a S. Sozimo his verbis propositum fuerat (3) : « Contra statuta patrum concedere vel mutare ne hujus quidem sedis potest auctoritas ; »

(1) Cfr Innocentii III Regestum, lib. II, epist. 75, ap. Migne, Patrologia, tom. CCXIV, col. 610 et seqq.

(2) Cfr Medina, de Sacrorum etc., lib. V, cap. 53, pag. 473.

(3) Labbe, Concil. tom. II, col, 1570.

et a S. Martino I his aliis (1) : « Canones ecclesiasticos solvere, non possumus, qui custodes canonum sumus ; » atque hac ratione firmatum in epistola Caroli Calvi ad Adrianum II (2) : « Quod apostolica sedes non potest esse sibi contraria ; » et potiori auctoritate Cælestini papæ dicentis (3) : « Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur? »

Ut autem hæc ad caput *Cum ad monasterium* applicem, imprimis in eo duæ partes distinguendæ sunt : prior de paupertate, quam recitavi ; posterior de disciplina quotidiana et recta domus constitutione, quam omisi. Verum quod animadversione dignum est, de posteriori hac parte quum dixerat pontifex, redit ad priorem, significaturus in ea dispensari non posse : quo indicat in posteriori, si ita ferat tempus, aliquando relaxari aliquid posse ab abbate. Nam in omni religione præcepta bifariam intelligenda sunt; alia dicuntur substantialia, et alia non substantialia ; sic in Societate nostra non solum ea, quæ votis continentur, substantialia decla-

(1) Ibid. tom. VI, col. 35.
(2) Inter Hincmari epistolas, XLIII, tom. II, pag. 708.
(3) Ap. Gratianum, Decret. cap. *Nulli,* dist. 38.

rata sunt, sed ea omnia quæ Formulæ instituti, Julio papæ III probatæ, inserta sunt et alia sine quibus illa non facile consistere possint. Atque in his plerisque ne dispensare quidem potest præpositus generalis aut congregatio generalis ullam immutationem inferre ; quoniam, quæ substantialia sunt, sacrosancta habenda videantur, dum reliqua et immutari possint et relaxari. Similiter in generali ecclesiæ disciplina multa censentur capita, adversum quæ indulgeri non possit per ordinariam ecclesiasticam auctoritatem (1). Et quidem si centum abhinc annis propositum fuisset hoc quæsitum : Potestne Romanus pontifex universi latique regni innocentissimos episcopos omnes deponere, sedes eorum supprimere, iisque successores dare viros, vix ex schismate emersos ; quot jurisperiti in ajentium ivissent partes? dixissetne ipse Clemens papa XIII se posse? Verumtamen ea fuerunt tempora ut, consentientibus catholicis fere omnibus, Pius VII arbitratus sit se id posse, summo scilicet et absoluto suo jure.

Quum itaque rescripsit Innocentius papa « abdicationem proprietatis, sicut et custodiam castitatis,

(1) Cfr. Berardi, Commentaria in jus ecclesiasticum, diss. IV, cap. 2.

adeo annexam esse regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere, » nil aliud voluit quam hæc regulæ monachalis substantialia capita esse; in quibus conservandis summi pontificis non minus quam abbatis industria versari debet, non autem in iisdem labefactandis per dispensationes. Neque vota invocat Innocentius, quum ante S. Franciscum nuspiam fere receptum esset singillatim paupertatem et catitatem profiteri; neque professionem religiosam, qua hæc vota (in aliquo saltem gradu) continentur; neque solemnitatem, quæ an paupertatis et castitatis votis inesset diu disputarunt juris canonici interpretes; sed, ut advertit ipse Suaresius (1), unam regulam monachalem, cujus pars substantialis sunt ambæ illæ virtutes, ordinaria pontificis auctoritate non infirmandæ, sed custodiendæ.

Neque hæc interpretatio nova est, sed cardinalis Ostiensis aliorumque, secundum quos statuit (2) « non posse pontificem adversus vota castitatis et paupertatis licentiam dare, non quidem absolute, sed de jure et juxta ecclesiasticos canones; posse tamen de plenitudine potestatis apostolicæ, totum

(1) De religione, tom. III, lib. IX, cap. XXVI, num. 17.

(2) Ap. Medina, De sacrorum etc., lib. V, cap. 53, pag. 473.

id faciendo quod sibi divinum jus indulget. » Quo accedit Innocentius papa IV, tradens (1) « hæc annexa esse ordini a jure positivo. Quod probo, inquit ; monachus autem nihil aliud est quam solitarius tristis. (XVI, q. 1, *Placuit.*) Si igitur plura imponantur, illud est impositum a conditore juris ; et ex hoc patet quod papa potest dispensare cum monacho quod habeat proprium.... *Nisi ex causa.* Quidquid enim papa dispenset, nisi justa causa subsit, peccat et dispensans et cum quo dispensatur. » Dein pergit declarare numquam posse esse justam causam dispensandi, quoniam numquam necesse sit ; verum id in actu, non in doctrina consistit. Atque his satis demonstratum esse arbitror nil inde confici posse adversus doctrinam, qua solemnitas in confirmatione ecclesiastica reponitur.

(1) In cap. *Cum ad monasterium,* fol. CLXIII, edit. Lugdun.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

CONFIRMATUR DOCTRINA EXPOSITA GRAVISSIMORUM VIRORUM AUCTORITATE.

Quum itaque sententia illa tam firmis nixa sit fundamentis, neque ullis concuti posse videatur objectationibus, mirum profecto apparere nequit, si summi viri, maxime ubi diligentius de hoc argumento disputari cœptum est, eam amplexati fuerint. Omitto veterum jurisconsultorum et theologorum dicta, satis habens ab instituta Societate nostra testes invocare.

Porro mihi jam pridem stupor injectus est, quod sanctus pater noster Ignatius ejusque socii, quorum nulli juri canonico dederant operam et unus dumtaxat alterve in theologia bene versati erant, eruerint universam molem inconsequentium et discrepantium sententiarum, quibus compressæ ad id tempus jacebant in jurisconsultorum et theologorum libris præcipuæ religiosæ vitæ rationes ; quod ab eis fieri necesse fuit ut scholasticorum et coadjutorum formatorum gradus invenirent inventosque stabilirent.

Vidit itaque beatissimus vir dominii incapacitatem necessario non sequi ex solemnitate votorum ; sed ex superaddita lege. Quare pro sua potestate voluit ut professi et coadjutores formati, licet hi votis dumtaxat simplicibus obligati essent, nil proprii habere possent, et ipsi atque etiam eorum ratione domus, ecclesiæ aut collegia incapacia essent capiendæ hereditatis ; «quo melius paupertatis puritas et quies illa, quam secum affert, conservaretur(1). » Quibus verbis constat eum non æstimasse hanc incapacitatem necessario fuisse conjunctam voto solemni paupertatis ; verumtamen multo manifestius præsto est testimonium. Ipse enim ad hunc locum hanc sub-

(1) Constitutiones, part. VI, cap. II, num. 12.

junxit declarationem : « Cum universaliter observetur, nec jus succedendi, nec proprium professos habere, nihilominus, si aliquis, sua devotione et sancta cum intentione ad majorem Dei gloriam motus, ante suam professionem a sede apostolica facultatem obtineret, ut vel ipse, vel domus, in qua professionem emisit, posset jus succedendi in hereditate habere, dum non ad privatum usum illius, sed ad pia opera, vel ad quæ alioquin obligaretur, possent ea applicari et omnia præpositi generalis arbitrio subdi, non contra istam constitutionem vel ejus intentionem existimaretur. » Quæ si umquam facta essent, professi illi non in quarto, sed in secundo tantum paupertatis gradu constitissent. Expunctam voluit hanc declarationem Congregatio I, non quod censeret eam pugnare cum essentia voti solemnis paupertatis, sed « quo magis puræ et sanctæ paupertati consuleretur (1). »

Verum, licet S. P. Ignatius hanc suam sententiam tam aperte declararit, quum tamen neque ipse, neque Societas nostra usurpata laude indigeat, candide fatendum est theologos nostros præcessisse in recte explicandis præcipuis hujus argumenti partibus Mi-

(1) Decreta Congregationis primæ, num. 38, in ms. tit. II, dist. 24.

chaelem Medinam Hispanum, ordinis Minorum observantum provinciæ Castellæ filium et præclarum in concilio Tridentino Philippi II regis theologum. Quum scilicet anno 1568 rumor increbuit Pium papam IV propendere ad consentiendum Germaniæ principibus, postulantibus spe finiendi schismatis ut græcorum more presbyteris suæ relinquerentur uxores; quumque hac fama universa commota esset Hispania et concilia congregarentur, quibus adversus id consilium iretur; rogatus fuit a summis viris Medina ut ea de re sententiam suam diceret. Scripsit itaque de sacrorum hominum continentia libros quinque eosque anno 1569 Venetis typis edidit. « Quibus libris haud scio, ait Andreas Scotus in Bibliotheca gentis Hispanæ, quid addi possit aut diligentia aut industria; » et quidem licet alia quoque volumina in lucem dederit, nullis magis patefecit singularem illam sacram et scholasticam divinorum doctrinam et perraram atque exquisitam historiarum et antiquitatis cognitionem, quibus promeruit ut de eo Nicolaus Antonius, ipsemet scriptor egregius, dixerit (1): « Si ideam perfecti quæramus theologi vix alium eo priorem inter tot Hispanos literarum heroas compellare posse videmur. » Quod

(1) Bibliotheca Hispana nova, tom. II, pag. 140.

vero in illo opere singulare est, quum eo fine conscriptum fuerit ut firma servaretur lex de cælibatu ecclesiastico idque maxime suaderi posse videretur argumentis, quibus nituntur theologi, qui ex natura voti solemnis (sive in consecratione, sive in traditione solemnitatem constitutam esse velint) matrimonia sacrorum hominum dirimi contendunt; hæc tamen argumenta nedum admiserit, primus omnium ea doctrinæ copia confutavit, ut qui pone venerint theologi et canonistæ ejus passim verba describserint; quin etiam demonstravit votis solemnibus nullam inhabilitandi vim inesse, nisi per legem ecclesiasticam, votis solemnibus jam constitutis ratione et tempore posteriorem : ita ut si ii, qui votis solemnibus adstringuntur, ad actus alioquin legitimos inhabiles sint, id non ex votis, quacumque solemnitate vestitis, proveniat, sed pure ex lege positiva ecclesiæ. Absit tamen ut doctrinæ novæ inventor habeatur; non ita est; sed, quemadmodum S. Ignatius cum suis sociis ante eum principia, quæ in jure atque etiam in theologia sub repugnantibus doctorum sententiis latebant, expedivit extricavitque et in opere usurpavit, sic ipse universam illius loci præceptionem dedit eamque argumentis, ex jure, patribus et theologis petitis, manifestam fecit. Verum nil ex hoc theologo delibare velim, quum, ut appareret quanta diligentia in hoc argumento versatus sit, de-

scribenda foret magna pars quarti et quinti ejus libri.

Paulo post seu Sixti papæ V temporibus controversias suas de sacramentis habuit Robertus Bellarminus tanta eruditione, conjuncta cum eximia simplicitate et claritate, ut adhuc, licet tot alii post eum venerint, princeps theologiæ polemicæ habeatur ; verum has postea recognovit sæpius ; et in editione Coloniensi anni 1619, qua utor, video eum rationem habuisse literarum Gregorii XIII *Ascendente Domino*. Porro, ubi in his venit ad impedimentum dirimens, quod voti dicitur, omnem dirimendi vim neque in voto, neque in traditione, neque in solemnitate reposuit, sed in lege ecclesiastica, qua præceptum est ut, qui solemni voto castitatis obligarentur, ii non secus ac affines ac consanguinei ad matrimonium essent inhabiles. Sed ipsemet audiatur.

Rejecta itaque sententia eorum, qui volunt id impedimentum necessario oriri ex traditione, a Christo per ministros suos accepta et probata, et amplexus placitum plurium theologorum et omnium, ut cum Panormitano loquitur, jurium interpretum, scilicet « solo ecclesiæ decreto factum esse ut votum solemne dirimat matrimonium; » « ideo probandum superest, inquit (1), ecclesiam potuisse hoc

(1) De Matrimonii sacramento, lib I, cap. 21. edit. Coloniensis, 1619.

impedimentum matrimonii constituere. » Deinde, postquam aliquid ex venerabili antiquitate adduxerat, ostendit « posse ecclesiam ejusmodi contractus legitimos vel illegitimos decreto suo reddere, personas habiles vel inhabiles efficiendo, » et demun explicat quare voluerit ut, qui voto solemni devincti essent, inhabiles essent ad matrimonium, et non item qui simplici. Accipe ejus verba : « Quod autem, ait, ecclesia non solum potuerit votum solenne impedimentum constituere, sed etiam causam habuerit constituendi, facile probari potest. Nam qui vota solennia continentiæ suscipiunt, illi statum vitæ mutant, et ab imperfecto ad perfectum ascendunt : absurdum autem esset, si iidem postea iterum redirent ad statum imperfectiorem. Deinde, qui hæc vota faciunt, magna deliberatione et præcedente probatione diuturna faciunt : incongruum autem est, ut id, quod maturo consilio factum est, iterum mutetur. Ad hæc, vota solemnia regulariter publice et coram testibus multis, immo populo inspectante fiunt ; ergo non possunt sine ingenti scandalo violari. Quare decuit ecclesiam providere, ne id mutari possit : medium autem efficacissimum providendi fuit irritare matrimonia post ejusmodi vota contracta. Denique qui vota solemnia faciunt, non solum Deo se obligant, sed etiam sponte se subjiciunt ecclesiæ, ut ab ea cogi possint, etiam per

viam judicii : proinde queri non possunt, si eos inhabiles ad matrimonium ecclesia facit.

« Atque eædem istæ rationes ostendunt, cur noluerit ecclesia vota simplicia esse impedimenta dirimentia : qui enim vota simplicia faciunt, nec statum proprie mutant, et sæpe sine magna deliberatione, et privatim, ac sine testibus illa faciunt, neque se ecclesiæ subjiciunt magis, quam antea subjecti essent : unde cogi non possunt ad votum servandum per viam judicii, sed per viam correctionis fraternæ, nisi talia sint vota simplicia, quæ ut paulo ante diximus, hominem vere, ac proprie religiosum constituant, qualia sunt vota simplicia Societatis nostræ, quæ ex constitutione Gregorii XIII summi pontificis, quæ incipit *Ascendente Domino*, declarantur substantialia religionis et dirimentia matrimonium. »

Succedant jam alii theologi nostri, qui Romæ aut in Hispania versabantur, quum immanis ea tempestas adversus Societatis nostræ vovendi modos sæviit, quam vix aut ne vix quidem Gregorii XIII auctoritas sedavit. Universa autem controversia in his consistebat : quæ status religiosi necessariæ essent rationes ; quid votum simplex et quid solemne ; et qui eorum, si in ordine religioso fierent, naturales effectus.

Hos inter imprimis erat Joannes Azor, S. Ludo-

vici Gonzagæ magister, qui, non contentus, pro more aliorum theologorum, philosophicis, juridicis et theologicis armis de hoc argumento concertare, integrum tractatum historicum de præcipuis religiosis ordinibus inseruit ; ita ut non putem suo ævo aliquid perfectius ea de re exstitisse : quod facere nequaquam potuit, quin in multa incurrerit, quæ præstantissimos juristas et theologos latent. Hic itaque doctissimus vir, cujus prior pars operis, probante generali præposito Claudio Aquaviva, anno 1600 Romæ et Lugduni prodiit, multis et accuratissime ea de re disputavit, non dubitans sententiam, quam confirmare nisus sum, « verissimam » appellare. Pauca ex ejus lucubratione hic referam.

« Mihi igitur, inquit (1), videtur solemnem voti rationem eam esse, quam ecclesia constituit. Ea autem est duplex, nimirum expressa vel tacita alicujus religionis approbatæ, vel sacri ordinis susceptio. Et proinde, si quæsieris, quænam sit solemnis voti ratio et substantia, respondeo eam esse quam juris canonici auctoritas præscripsit. Sicut si quæras, quæ sit testamenti, jurisjurandi vel matri-

(1) Institutionum moralium lib. XII, cap. VI, col. 1184 et seqq. Lugduni, 1600.

monii ratio solemnis, dicam eam esse quam juris scripti civilis vel canonici sanctio definivit. Est igitur voti solemnitas, ut uno verbo concludam, aut religionis approbatæ professio, aut sacri ordinis susceptio. Ex quo etiam fit, ut voti solemnis effectus, vis et potestas sit ex ecclesiæ decreto, ut statim explicabo.

« Tertio quæritur, an solemne votum castitatis, a monacho factum, per se, aut vi et natura sua, aut jure divino dirimat matrimonium, postea contractum : quod est quærere an religiosus, qui castitatem solemni voto promittit, ratione voti præcise, an ratione solemnis celebritatis et formulæ fiat ad matrimonium inhabilis. Quatuor sunt in hac quæstione sententiæ. Prima docet, per omne votum castitatis, etiam simplex, quo quis Deo se obligat ad castitatem simpliciter servandam, matrimonium postea contractum dirimi... Secunda opinio docet per solemne votum castitatis, a monacho emissum, vi ac natura sua matrimonium postea secutum dissolvi. Tertia sententia eorum est qui censent per solemne votum religiosi matrimonium postea contractum dirimi sola ecclesiæ auctoritate.... Quarta sententia defendit ejusmodi votum non vi sua, nec jure canonico, sed divino vim habere matrimonium dissolvendi contractum...

« Mihi tertia sententia verissima apparet, quæ docet matrimonium, post votum religionis solemne

contractum, nec dirimi ratione voti præcise, nec jure naturali, nec jure divino, sed canonico : eo quod ecclesia sanciverit ut, qui religionem professi sunt, habiles et idonei ad matrimonium amplius non sint. Sicut enim cum voto solemni religionis non pugnat, ut conjuges mutuo consensu religionem profiteantur, nec antecedens matrimonii consummati vinculum religionis professione dirimitur ; ita nec cum solemni voto per se pugnat, ut, si vir et fœmina sese matrimonio conjungant, matrimonium valeat et jure subsistat : ita ut sint revera religiosi et conjuges, non quidem usu conjugii : (hic enim usus vi et natura sua cum religiosorum statu pugnat); sed solo conjugii vinculo...

« Objicies saltem ratione solemnis promissionis votum habere vim matrimonii dirimendi. At contra hoc facit, quia ecclesia statuere potest, ne vota, quæ in religionibus approbatis emittuntur, matrimonium dirimant contractum.

« Insistes. Tunc vota desinent esse solemnia ! Contra ; ponamus nihil solemnis voti rationis, quæ nunc emittuntur, detrahi ; sed solum hujusmodi effectum impediri ; qua re desinent quidem esse solemnia, quod pertinet ad effectum matrimonii dirimendi ; nihil tamen amittent eorum, quæ nunc habent...

« Quarto quæritur, quo jure solemne votum paupertatis, quod in professione religionis emit-

titur, monachum faciat inhabilem ad bonorum suorum dominium vel retinendum vel in posterum acquirendum ? Respondeo. Quemadmodum superiori quœstione de voto castitatis solemni, fuere variæ sententiæ, sic etiam de voto paupertatis : quibusdam asserentibus ejusmodi vim voto paupertatis inesse jure divino : aliis ratione solemnitatis : aliis demum sola ecclesiæ constitutione ; quorum opinio mihi valde probatur, ut quæ cum ipso jure civili, auctoritate canonis comprobato, magis convenire videatur. Nam in authentica de sanctiss. episcopis, collat. 9, § *Si qua mulier,* sic decernitur : « Si qua mulier, etc. » Unde est aliquorum opinio jure communi antiquo monachum, filiis carentem, dominii et proprietatis expertem esse ; habentem tamen liberos, non item : licet jure, quo nunc utimur, religiosus professus, quicumque ille sit, dominii et proprietatis capax non sit... Huc accedit id, quod sæpe jam dixi, in c. *Quod votum*, de Voto et voti redempti. in 6, generatim dici, solemnitatem voti esse sola ecclesiæ constitutione inventam ; at voti solemnis, quod in professione religionis emittitur, effectus est, ut matrimonium non solum contrahendum impediatur, sed etiam dirimatur contractum : ergo similiter ex constitutione ecclesiæ ea vis in voto paupertatis existet, ut non solum quempiam ab usu facultatum et rerum suarum impediat, at-

que prohibeat : sed etiam ei dominium et proprietatem prorsus adimat et detrahat.

« Ex his, quæ hactenus diximus, colligitur professum monachum esse inhabilem ad testamentum faciendum solo canonico jure, non autem naturali et divino; hoc est, non ratione voti, nec religionis, aut publicæ promissionis, aut traditionis. »

Dum controversiæ illæ de natura votorum et status religiosi ferverent idque negotium Romæ examinaretur, versabatur etiam in alma Urbe ibique theologiam dogmaticam explicabat Gabriel Vasquez, quem multi laudibus supra Suaresium efferunt; sed ut non juvat « de sanctorum majoritate vel parvitate disputare, » sic etiam de theologorum. Vasquesius itaque, quem multis jam locis adduxi, in primam secundæ S. Thomæ, quæstione XCVI, articulo IV, disputatione CLXV, capite VI, hanc thesim sibi demonstrandam assumit : « Nullum religiosum ex sola natura votorum (sive simplicia sint, sive solemnia,) sed ex jure positivo ecclesiæ inhabilem reddi ad dominia rerum, testamenta et contractus. » Quod postquam ex codice Theodosiano, ex S. Gregorii Magni literis, quorum particula in Decreto Gratiani (1) cap. *Perlatum* repræsentatur, aliisque mo-

(1) Causa XX, q. 3, c. 8.

numentis et ratione theologica perfecisset : « Ex quo etiam consequitur, ait (1), per votum paupertatis, in religione emissum, sive illud sit simplex, sive etiam solemne, neminem fieri incapacem et inhabilem ad capessenda rerum dominia et alteri tradenda, si solam naturam voti consideremus; sed hunc effectum voti intra genus voti advenire ex jure positivo ecclesiæ; immo vero hic effectus non est de ratione solemnis voti, sed ex ecclesiæ lege et statuto ei additus est. »

Capite autem sequenti seu VII fuse confirmat hoc alterum dogma : « Nullum religiosum ex sola natura voti (sive simplicis, sive solemnis) intra genus ejus, sed ex jure positivo ecclesiæ inhabilem reddi ad matrimonium. » Quod quum multis testimoniis suaserat : «Ex his dictis, ait, (2), hoc saltem colligamus matrimonia, a religiosis viris aut fœminis contracta, alioquo tempore in ecclesia Dei firma et rata etiam fuisse, licet ipsi contrahentes peccarent; ut inde probemus professionem religionis suapte natura non facere religiosos inhabiles ad matrimonia. Porro autem votum, in religione tunc emissum, solemne

(1) Commentar. in 1.2. S. Thomæ, tom. II, pag. 139, Antverpiæ, 1620.

(2) Ibid., pag. 131.

fuisse cap. VIII probabimus. » Quod et suo loco a me factum.

Demum capite VIII, ubi quærit « in quo posita sit solemnitas voti, » affert caput *Quod votum* (de Voto et voti redemptione); quo expenso : « Respondet pontifex, ait (1), solemne illud esse (et ad dirimendum matrimonium efficax), quod solemnisatum fuit in susceptione sacri ordinis aut in professione religionis : ac si diceret, quod sub certo quodam et præscripto modo nuncupatum est : modus enim ille vicem habet solemnitatis. Restat igitur ut de solemnitate eodem modo philosophemur, quo de solemnitate contractus cujuscumque aut testamenti : id quod vox ipsa indicare videtur. » Et demum concludit his verbis (2) : « Ostendimus votum non dici solemne ex eo quod inhabilem reddat voventem ad matrimonium et ad dominia; sed ex eo quod emittitur publice, ut dictum est, sub certa forma et traditione perpetua ex utraque parte in regula præscripta, cui prædicta inhabilitas annectitur (lege positiva), tamquam effectus illius, » (ut impedimentum dirimens annectitur affinitati et consanguineitati in remotioribus gradibus.)

(1) Ibid., pag. 133.
(2) Ibid., pag. 135.

Dum idem jurgium, toties jam memoratum, tanta acerbitate adversus Societatis nostræ instituta moveretur, non solis patribus, qui Romæ versabantur, laborandum erat in declaranda votorum natura; verum etiam iis, qui in Hispania, præcipuo controversiæ theatro, theologiæ, juris et nostrarum legum peritiores erant. Degebat itaque tum illic Petrus de Ribadeneira, ad virtutem ab ipso S. P. Ignatio effictus; qui integrum volumen de institutionibus Societatis conscripsit et anno 1605 edidit. Hic licet nonnulla miscere aliquando videatur, quæ minus forte inter se conveniunt, ubi tamen explicat quare scholastici nostri, licet vere religiosi sint, rerum suarum dominium retinere possint, respondet id dominium ne cum solemni quidem voto pugnare; sed sola lege positiva id religiosis professis interdictum fuisse. Ad verbum, quantum fieri potest, locum ex hispanico latinum facio (1) : « Apparet itaque, ait, id verum esse et dominium non pugnare cum voto paupertatis jure naturali aut ratione intrinseca et essentiali voti, sed propter institutionem ecclesiasticam jureque positivo, prout ab ecclesia præceptum est et in historiis monasticis reperimus.

(1) Tratado en el qual se da razon del instituto de la religion de la compañia de Jesus, cap. 18, pag. 147 et seqq.

Certum enim est olim fuisse ordines et religiosos professos, qui testari possent, et qui consequenter dominium haberent, ut liquet ex l. 1, C. de sacrosanctis eccles.; ubi Constantinus ea de re statuit; licet (ut Salicetus et Butrigarius in eamdem legem animadverterunt) testandi potestas ad causas pias restringeretur. Similiter jure Codicis indicantur qui religiosis ab intestato succedere debeant; l. *Siquis*, C. de episcopis et cleric.; quod non fieret, nisi aliquot bonorum habuissent dominium. Hæ autem leges postea correctæ et mutatæ fuerunt a Justiniano in suis constitutionibus; unde depromptæ sunt authenticæ *Ingressi* et *Si qua mulier*, C. de sacrosanctis eccles. et authentica *Nunc autem*, C. de episcopis et clericis, ut notarunt Salicetus et Cujacius. Atque ita S. Gregorius (lib. VII, epist. 7, relata cap. *Ingredientibus*) definivit juxta authenticam *Ingressi* ut quidquid monachus habeat monasterii esset.

« Similiter ex historiis ecclesiasticis et monasticis discimus olim monachos professos aliquod dominium habuisse, de quo disponere possent; ut fecerunt S. Antonius abbas,... S. Hilarion,... et S. Malchus, cujus Vitam scripsit S. Hieronymus et qui, matre mortua, ex suo exivit monasterio, bona sua venditurus; quorum partem dedit pauperibus, partem monasterio et partem sibi servavit, ut suis provideret necessitatibus. Atque idem S. Hierony-

mus misit fratrem suum Paulinianum in patriam, ut parentum hereditatem venderet et hospitium exstrueret. Magistrianus ad S. Arsenium testamentum tulit, quo senator quidam, valde dives ejusque consanguineus, eum heredem instituerat, ut in ejus Vita refertur. De Petronilla autem Lucania scripsit S. Gregorius (lib. III, epist. 6, relata cap. *Perlatum* 19, q. 3) eam res suas omnes, quas habere potuit, licet sibi jure potuissent competere, easdem monasterio, quod ingressa erat, etiam specialiter donationis titulo contulisse. Sic olim fiebat; sed deinde per leges civiles et ecclesiasticas dominio spoliati sunt religiosi, qui professionem et votum solemne paupertatis facerent. »

Florebat tum etiam in Hispania Thomas Sanchez, libris suis de Matrimonio et in Decalogi præcepta notissimus et ad miraculum diligens. In utroque opere sententiam nostram propugnat; et in priori tota ejus dissertatio XXV libri VII circa id argumentum versatur, tum ut adversarios debellet, tum ut suum placitum confirmet. Pauca inde (1) excerpam quod novum argumentum videatur.

« Traditio, inquit, habet rationem generis et materiæ in voto solemni: at circumstantiæ, ab eccle-

(1) De matrimonio, lib. VII, disp. XXV, num. 2.

sia institutæ, rationem differentiæ et formæ; per illas enim completur in esse solemni. Sed res non a genere et materia, sed a differentia et forma habet esse tale; ut homo non ab animali et materia, sed a rationali et forma habet esse hominis. Non ergo differentia specifica et essentialis collocanda est inter votum simplex et solemne in traditione, sed in illo statuto ecclesiæ... Sic igitur votum ex eo tantum solemne dicetur, quod in eo cæremonia et formula jure præscripta adhibeatur. » Hinc infert omnia quæ in voto solemni clauduntur contineri voto simplici; utriusque ex natura sua idem esse vinculum, sed solemnis majorem esse vim ex sola ecclesiæ constitutione; demum ea inter se non differre specie, sed sola extrinseca et accidentali differentia, quoniam extrinseca ecclesiæ sola constitutione secernuntur, et ecclesia rei naturam non mutat, sed vim et robur adjungit.

Eadem docet in Opere morali in præcepta Decalogi, plura paucis complexus, scilicet (1) « per solemne professionis votum non dirimi, sed solo jure ecclesiastico matrimonium sequens;..... atque idem prorsus dicendum esse de solemni voto paupertatis;» et deinde, impugnata opinione Suaresii, solemnitatem

(1) Opus morale, lib. V, cap. 1, num. 9 et 11.

constituentis in vi, addita ab ecclesiæ præsulibus, irritandi actus contrarios, consentit omnino Azorio, Petro de Ribadeneira et Vasquesio, docentibus « votum (non secus ac contractus et testamenta) dici solemnia, quod ut tale acceptetur ab ecclesia emittaturque cum cæremoniis et solemnitatibus, ab ipsa præscriptis. »

Quum itaque a gravissimis illis doctissimisque viris sententia illa tanto argumentorum pondere stabilita fuerat, admissi etiam fuit in universitatem Lovaniensem, ubi tum docebat Joannes Malderus, vir an sanctitate, an doctrina illustrior, et dein pietatis catholicæ in diœcesi Antverpiensi, postquam ad epicopalem cathedram evectus fuerat, præclarus restaurator. Pro more referam ejus verba.

« Dico tertio, ait (1). Probabilius est religionis votum solemne, ut et sacrum ordinem non ex natura rei, sed ex sola ecclesiastica constitutione dirimere matrimonium, quod postea contrahitur ; tenet Glossa in cap. *Nuptiarum,* verbo *Uxores,* 27, q. 1 ; Azorius, lib. 12, cap 6 ; Sanchez et alii multi ; imo Panormitanus in cap. *Rursus* (Qui clerici vel voventes) testatur esse omnium canonistarum. Sequitur Rebellus libro III de Justitia q. 4, sect. 1 ;

(1) De virtutibus theologicis etc. Commentaria in 2. 2. Tract. X, cap. 5, dub. 3, pag. 683. Antverpiæ, 1616.

et dicit hanc sententiam esse tam certam ut absque ingenti temeritate hoc tempore negari nequeat, propterea quod eam definierint Bonifacius VIII et Gregorius XIII. Sed, omissa hac censura, patet assertio ex dictis; quia, remota ecclesiastica constitutione, numquam satis solide ostendetur irritas esse religiosi nuptias, sed tantum sacrilegas, irreligiosas et perfidas. Qui enim post conjugium ex consensu conjugis fit religiosus, perfecte est religiosus, non tamen adimit ei, qui habet potestatem corporis sui, id est conjugi, illam potestatem ; ergo neque solutus, quando ingreditur religionem adimit sibi potestatem illam corporis, ita ut matrimonio ex natura rei sit inhabilis, sed potius promittit non uti tali potestate, eam alteri non dare, seque mundo mortuum fore : atqui nisi per legem ecclesiasticam fiat inhabilis matrimonio, non erit propterea ex natura rei impotens ad valide contrahendum, aut ad copulam, cui renuntiavit. Insinuat ejusmodi argumenta Augustinus illo cap. *Nuptiarum*, supra citato. »

Ne vero in Suaresii placita hæc trahantur, obstant ejus dicta de quarto voto solemni Minimorum ; in quo, quum id in comedendis perpetuo (nisi secus medicis videatur) cibis quadragemalibus consistat, « dari nequit, ut Sanchesii (1) verbis utar, traditio

(1) Opus morale, lib. V, cap. I, num. 6.

(aut vis), privans dominio et facultate contrarium valide faciendi. » Ait itaque sapientissimus Malderus (1): « Hujus item loci quæstio erit utrum sint tantum tria vota solemnia, castitatis, paupertatis et obedientiæ? R. Haec tria vota monachatus substantialia, autiquiora et magis usitata; non tamen repugnare, quin etiam alia adjungantur solemnia utpote obedientiæ peculiaris in missionibus Romano pontifici præstitæ, abstinentiæ a carnibus, vivendi vitam quadragesimalem, militandi contra fidei hostes, serviendi ægris et similia ; immo placet sententia Azorii, quidquid est materia voti, saltem natura sua, etiam posse esse materiam voti solemnis. »

Florebat eodem fere tempore in Belgio venerabilis Leonardus Lessius, cujus doctrinæ memoria peribit numquam. Ponit itaque, quæ vulgaris est sententia, religiosos solemniter professos « in particulari omnino incapaces esse omnis dominii, usus fructus, possessionis et similis juris rerum temporalium; » et dein quærit « unde votum solemne paupertatis hanc vim habeat. » Tum monito lectore se alibi ea de re iterum dicturum, in hæc pergit verba: « Nunc tamen, ait (2), breviter dico ex ordinatione

(1) Op. supra cit. pag. 685.

(2) De jure et justitia, lib, II, cap. IV, dub. V, num. 22.

ecclesiæ hanc vim habere: quod ex eo constat, quia non habet eam præcise ex natura voti; ut patet in voto simplici, quod non minus est efficax in ratione voti, quam solemne; et tamen nunquam potest inducere hanc incapacitatem: neque etiam ex intentione voventis; si enim voveas in religione non approbata a sede apostolica, quantumvis intendas te reddere incapacem dominii, tamen incapax non fies: nemo enim suo arbitratu se potest reddere incapacem. Unde non relinquitur aliud quam ordinatio ecclesiæ, statuentis ut professio in religione approbata hunc effectum habeat. Simile est in incapacitate matrimonii, per solemne votum castitatis inducta. » Dein docet posse item Romanum pontificem statuere ut ex votis simplicibus iidem effectus proficiscantur.

Objiciens ibidem sibi « papam non posse concedere ut monachus *proprium* habeat; atqui si ex constitutione ecclesiæ proveniat quod non sit capax dominii, papa posset ei proprium concedere; quia potest in ecclesiæ constitutione dispensare; » censens primum paupertatis gradum ad statum religiosum non sufficere, sed secundum saltem requiri, respondet: « *Proprium* dupliciter accipi potest; primo, ut significet dominium, quod in se et in sui usu sit omnino independens ab arbitrio superioris, et tale proprium non potest concedere.... Secundo

potest accipi generatim, ut comprehendat etiam dominium, quod in se et in sui usu a superioris arbitrio dependet et hoc modo papa potest *proprium* seu dominium concedere: tale enim proprium cum essentia religionis non pugnat; et hujus proprii incapacitas ex ecclesiæ constitutione provenit non ex ipsius voti natura aut voventis intentione, ut ostensum est. »

Ubi autem venit ad locum, ubi se fusius traditurum spoponderat quæ sit in religioso professo origo inhabilitatis ad dominium: « Professio, ait (1), inhabilitatem ad dominium inducit, non ratione voti paupertatis præcise, quia non ideo quis est incapax juris et dominii, quod Deo paupertatem promiserit, nec ratione tacitæ renuntiationis, quia aliud est se dominio spoliare, aliud inhabilem se ad illud reddere; sed id provenit ex duabus aliis causis. Prima est traditio sui in jus ordinis; ita enim se tradit ordini, ut partim mancipio, partim filio familias comparetur, quorum neuter sibi acquirit, sed ei in cujus potestate est, ut infra dubit. 11 dicetur. Secunda est decretum ecclesiæ, professioni annexum. Hoc enim non solum traditionem illam confirmat, ita ut ille non possit velut manumitti aut

(1) Ibid. cap. XLI, num. 18.

emancipari, sicut servus vel filius, aut sui juris effici; sed etiam illum directe incapacem dominii acquirendi facit, sicut ejusdem ecclesiæ decretum reddit profitentem inhabilem ad matrimonium. »

Verum prior ratio minus placet, quum scholastici Societatis propter traditionem suam eodem jure dici possint partim mancipia, partim filii familias ; et sane, sepositis Capuccinis et Observantibus, multo melior repeti potest ratio ex hodiernis vitæ communis legibus, ad quam per professionem monachus ita admissus est ut, sicut res aliorum ei communicantur, ita quoque res ejus fiant universorum; quemadmodum etiam fit in omni societate, in qua bona, lucra et damna sunt communia.

Neque probavit illam rationem Joannes de Lugo, qui aliquanto post summa subtilissimi ingenii laude Romæ docuit, qui in difficillimis regularium, maxime Societatis nostræ, nodis expediendis operam posuit et demum omnium eruditorum plausu ab Urbano papa VIII cardinalitio galero insignitus est. Sed tanta est hujus viri auctoritas ut ejus etiam verba danda videantur.

« Supponendum ergo est primo, inquit (1), licet

(1) De jure et justitia, tom. I, disp. III, sect. IV, num. 74 et sqq. pag. 36, Venetiis, 1751.

singuli religiosi non sint capaces dominii, religionem tamen ipsam seu monasterium et communitatem dominii esse capacem, excepto ordine Minorum Observantium et Capucinorum... Supponendum secundo religiosum post solemne votum paupertatis non habere dominium ejusmodi rerum propter inhabilitatem, ex tali professione ortam: qnam inhabilitatem provenire aliqui dicunt ex ipsa natura voti solemnis, per quod religiosus tradit se religioni, partim ut servus, partim ut filius, quorum neuter acquirere potest sibi, sed domino vel patri, in cujus potestate est. Ita Lessius infra cap. 41, dub. 8, num. 71. Sed multo verius est provenire ex jure positivo, quo ecclesia religiosum reddit inhabilem et incapacem dominii, ut cum aliis docet Sanchez, lib. 5 de Statu Religioso cap. 2, num. 9; et probari potest ex dictis sect. præced.; quia si illa incapacitas non proveniret mere ex jure ecclesiastico, sed ex voluntate religiosi, vel hoc esset, quia ipse sponte vult non acquirere, nec acceptare jus ad aliqua bona: et hoc quidem totum posset ipse per voluntatem sequentem contrariam auferre; quæ licet esset illicita, quia esset contra votum, esset tamen valida: sicut, licet votum aliquis fecerit de non ineundo matrimonio, et ad id voluerit se obligare, potest tamen valide, licet illicite, contrahere: singuli enim possunt auferre sibi per voluntatem impedi-

mentum, quod in præcedenti solum voluntate consistit. Nec refert, quod dederit jus alteri, verbi gratia ordini ad omnia bona, quæ in futurum acquiret : quia in primis jam illa inhabilitas posset cessare ex consensu ipsius ordinis, cui jus acquisitum fuerat : cum tamen de facto incapacitas religiosi ad dominium neque ex consensu religionis cessare possit. Dein sæpe non acquiritur tale jus religioni, ut quando ordo est incapax acquirendi hereditatem, alicui religioso relictam : tunc enim hereditas redit ad heredes ab intestato, quibus tamen religiosus per professionem noluit se obligare, nec ipsi ullo modo acceptarunt tale jus. Fatendum ergo est inhabilitatem illam prevenire a jure ecclesiastico, quo ejusmodi professi redditi sunt inhabiles et incapaces dominii eo ipso, quod voto solemni paupertatis se voluerunt obligare.

« Denique hoc ipsum possumus in universum probare, quia si hæc incapacitas acquirendi sibi proveniret ex eo, quod se per professionem tradidit totum religioni, et non ex jure ecclesiastico ; religiosus esset incapax dominii eo modo, quo est incapax servus, qui se totum domino tradidit ; atque ideo posset in aliquo casu acquirere dominium sibi : sicut diximus posse servum, quando aliquis donaret ipsi aliquid ea lege, ut nullo modo dominium acquireretur ejus domino, sed soli servo : diximus enim

eo casu servum non domino, cui non potest, sed sibi soli acquirere dominium ; cujus acquirendi est incapax tunc solum, quando acquiri posset domino, cui se totum tradidit. Consequens autem est falsum ; nam religiosus in eo etiam casu non posset sibi acquirere dominium ; sed nulli, si religioni non potest : ergo illa impotentia non provenit ex traditione sola, sed ex jure ecclesiastico, quo factus est omnino inhabilis ad dominium acquirendum.

« Unde tertio supponendum, hanc incapacitatem non ita alligari de facto ad professionem solemnem ut non reperiatur etiam in aliquibus religiosis cum solo voto simplici paupertatis. Nam sicut de facto ecclesia inhabilitatem ad matrimonium apposuit non solum volo solemni castitatis ; sed simplicibus etiam votis, quæ in nostra Societate post biennium probationis emittuntur ; sic etiam inhabiles fecit et incapaces totius dominii non solum professos, sed eos etiam qui gradum coadjutoris formati spiritualis vel temporalis in Societate accipiunt, ut constat ex bullis Pontificum et constitutionibus nostris, quas affert Sanchez, lib. 7 de Statu Relig. c. 18, num. 24. Unde etiam constat inhabilitatem illam provenire ex decreto ecclesiæ, cum in aliquibus votis simplicibus ex eodem ecclesiæ decreto reperiatur, in quibus nulla est solemnis traditio. »

Postquam scholarum nostrarum principes in me-

dium produxi, arbitror me omittere posse bene multos Societatis nostræ theologos et juristas, qui illorum vestigiis insistunt, sed quorum fama et auctoritas longe minor est ; et similiter plerosque doctores ordinis S. Francisci, qui Scoti et Medinæ eadem de re placita multis curis proposuerunt et tuiti sunt. Horum omnium testimonia tu, mi frater, diuturno et fastidioso labore mihi collegisti, uti et alia multa aliorum regularium atque etiam sæcularium virorum, qui sive in theologia explicanda, sive in jure canonico interpretando de natura votorum solemnium disseruerunt et sententiam, quam propugnavi, calculo suo probarunt : sed modus imponendus est tot documentorum recitationi. Quare quæ in sæcularium libris recentiora sunt, hæc sola in medium proferam.

Prodeat primo loco Ven. V. Jacobus Andreas Émery, superior generalis societatis S. Sulpitii ; quem nominasse laudasse est. Præclarus autem hic presbyter, neque mollis, neque severus, placido acrique judicio, in media tempestate semper sui compos, prudentissimusque magister et consiliarius, extremo superiori sæculo, dum ex cœnobiis suis exulabant sanctimoniales Gallæ, duo scripsit opuscula, quibus religiosis feminis et earum superioribus suadere conatus est eas non tantum posse, verum etiam debere paternas hæreditates adire, ut inde

suis et sororum expensis providerent. Posterius opusculum, cujus potissima vis et auctoritas inde petita est quod veteres monachi vere proprietarii essent hanc clausulam habet (1) :

« Nous pouvons maintenant conclure avec une une très-grande abondance de droits et d'autorités : 1° Que le Pape peut autoriser les religieuses à hériter, à posséder, à disposer même par testament. Le Pape n'a point fait encore de réglement général sur cette matière ; ce règlement serait cependant bien à désirer pour lever tous les scrupules et pour établir l'uniformité.

« 2° En attendant ce règlement, les évêques ou ceux qui sont dépositaires de leur autorité, sont très-fondés à donner, au moins provisoirement, les mêmes permissions.

« 3° Dans les cas de nécessité urgente, les religieuses qui n'auraient pas le temps ou la facilité de demander ces permissions, peuvent légitimement présumer la volonté des supérieurs et agir en con-

(1) OEuvres complètes de M. Émery, supérieur général de S. Sulpice, col. 1863 et 1864. Mémoire sur cette question : *Les religieuses peuvent-elles aujourd'hui, sans blesser leur conscience, recueillir des successions et disposer par testament? Leurs supérieurs peuvent-ils, doivent-ils même leur en accorder la permission?* in fine.

séquence avec la disposition de se soumettre à leur volonté, quand on pourra la connaître.

« 4° Le droit et le besoin qu'ont les religieuses de receuillir des successions dans les circonstances présentes, sont si évidents ; les raisons d'accorder les permissions dont il s'agit, sont si légitimes, si justes, que le refus qu'en feraient quelques supérieurs particuliers, porterait tous les caractères et entraînerait par rapport à eux, toutes les suites d'un refus injuste ; » id est, ut ante explicuit, eos ad restitutionem faciendam obstrictos fore.

« 5° Ces permissions et l'usage qu'en font les religieuses, ne supposent point une dispense du vœu de pauvreté : ces permissions dérogent bien à la perfection de ce vœu (agitur de voto solemni), mais non à sa substance. Elles en laissent subsister les parties qui ont suffi, pendant longtemps, et dans un très-grand nombre de saintes religieuses, pour constituer la pauvreté religieuse. »

Et postquam dein breviter exposuit quomodo secundum obedientiæ et caritatis leges bonis illis suis uti deberent, hæc in fine addidit : « Je finis par observer que, si l'état présent des choses quant à la religion subsiste, et si l'on croit cependant qu'il est de l'intérêt de l'Église que les communautés de religieuses se maintiennent et se perpétuent, il est bien évident qu'on ne peut espérer ce maintien et

cette perpétuité qu'autant que les membres de ces communautés, qui existeraient, non aux yeux de l'État, mais aux yeux de l'Église, seraient dans une pleine liberté de conscienee, de recueillir les successions, de posséder en leur propre nom et de disposer de même, sous la direction cependant et avec dépendance des supérieurs, » quemadmodum scilicet semper fecerunt scholastici Societatis Jesu, quos vere fuisse et esse proprietarios neminem latet.

Quam ab causam hæc scripserit merentissimus vir Émery, aperit ipse initio libelli : « Elles (les religieuses) ont été déclarées capables (par la Constituante) de donations et de successions, ainsi que les autres citoyens ; mais des directeurs, plus zélés que savants, ont voulu les priver de cette ressource. Ils ont soutenu qu'elles ne pouvaient sans prévarication recueillir un héritage ou en disposer. Quelques-uns ont été jusqu'à prétendre qu'elles ne pouvaient y être autorisées par les supérieurs ecclésiastiques et par le Pape lui-même ; que du moins elles ne pouvaient recueillir les successions qui leur arriveraient que jusqu'à la concurrence de ce qui était nécessaire pour leur honnête subsistance. »

Pone venit Rev. V. Bouvier, episcopus Cenomannensis, cujus opera pluribus nonnihilo severiora videntur, sed qui certissime insigni fuit doctrina.

Hic itaque, censens regulares in Galliis non solemnibus votis obligari, quod proprietarii sint neque possint non esse, nequaquam tamen æstimat solemne paupertatis votum cum rerum dominio consistere non posse ; contra aperte docet id fieri posse si dispenset Romanus pontifex : ubi oblitus est quid de legibus docuisset ipsemet, quæ servari nequeant; sed id unum nobis sufficit quod, non secus ac Azorius, Vasquez, Sanchez, Ridadeneira, Lessius, Lugo aliique, sensit incapacitatem dominii non proficisci ex solemnitate voti, sed ex superaddita lege ecclesiastica.

« De essentia, inquit (1), paupertatis non est ut dominium abjiciatur : nam ex bulla *Ascendente Domino* religiosi Societatis Jesu, post emissa vota, retinent et acquirere possunt dominium radicale bonorum temporalium : non habent jus actuale de illis pro arbitrio suo [licite] disponendi et utendi ; atque in hac abdicatione consistit essentia paupertatis religiosæ. Ita Sanchez, Layman, Busembaum, Ligorio.

« Posset igitur summus pontifex, a conditionibus in jure præscriptis dispensando, efficere ut, non

(1) Institutiones theologicæ, tom. V, de Decalogo, cap. II, art. III, § 2.

obstante lege civili in Gallia nunc extante, votum paupertatis ad solemnem religionis professionem sufficeret, »

Logerot, sacræ theologiæ professor emeritus et canonicus Turonensis, qui primus ausus est conscientiæ leges cum justitiæ et juris rationibus, prout ex codice Napoleoniano oriuntur, singulari tractatu componere, eadem placita laudat veraque esse docet. Quærit itaque (1) « an, dissolutis (ut in Gallia accidit) communitatibus religiosis, dici possit religiosos, nunc extra monasterium viventes, esse capaces dominii proprietatis? »

Respondet : « Affirmative, posita tamen permissione summi pontificis, expressa aut legitime præsumpta : nam potest Romanus pontifex religiosos dispensare circa incapacitatem acquirendi dominium, cum illa incapacitas primum introducta fuerit jure humano, nempe 128 novella Justiniani, quam in legem ecclesiæ assumpsit S. Gregorius papa : qua sola lege nunc apud nos innititur illa incapacitas, siquidem ex nostro jure civili hodierno religiosi sunt capaces donationis et successionis suscipiendæ, sicut alii cives et ineundi alios contractus. Ergo potest

(1) Tractatus de justitia et jure, ad normam hodierni codicis civilis Galliæ digestus, tom. I, diss. II, cap. 2, art. I, quæritur 14.

Romanus pontifex in hoc dispensare sive expressa permissione, sive legitime præsumpta.

« Porro id potest solus pontifex, quia est lex generalis ecclesiæ. Attamen, ut notavimus, sufficere potest permissio legitime præsumpta. Si necessitas urgeat et impossibilis sit ad papam recursus, episcopus potest saltem per interim dispensare; quod si episcopus nollet, religiosi acciperent ex legitima præsumptione permissionis ecclesiæ saltem jus proprietatis in res ad vitam necessarias ; non enim renuntiarunt in perpetuum cuivis proprietati, nisi quia merito sperabant nihil sibi quoad victum et vestitum defuturum. Vide de ea re opellam, cui titulus : *Mémoire sur cette question : Les religieuses peuvent-elles sans blesser leur conscience* etc. Autore D. Éméry. »

Demum Ven. V. Josephus Carrière, confessariis non solum notus, verum etiam juris consultis laicis, licet passim impediri se sinat Suaresii placitis, consentit tamen Ven. V. Jacobo Éméry (1) ; quin etiam, licet velit in Galliis et Belgio non amplius fieri vota solemnia, quod religiosi in quarto paupertatis consistere neque possint, neque debeant, apertissimis tamen verbis ibidem scripsit (2) « attenta rei natura, stare posse votum solemne cum dominio, ex-

(1) De jure et justitia, part. I, sect. I, cap. 4, num. 215.
(2) Ibid. num. 222.

cluso solo usu juris » seu independenti, id est cum eo paupertatis gradu, qui scholasticis Societatis nostræ assignatus est. Unde apparet, gravissimo hoc viro auctore, vim faciendi religiosos ad dominium ineptos non esse de essentia voti solemnis paupertatis.

Demum, ut hunc catalogum clauderem testimonio jurisconsulti Itali, qui summam accurationem cum eximia brevitate et nitore in libris suis conjunxit, ad finem servavi Joannis cardinalis Sogliæ verba, qui in impedimento voti ita disserit (1) : « Inquiritur hoc loco a doctoribus de ratione differentiæ et efficaciæ voti simplicis et solemnis, utrum ex jure naturali et divino ortum habeat, an ex jure dumtaxat ecclesiastico ? Sunt autem rationes plures, cur putemus id solum ex jure ecclesiastico proficisci : 1° quia utrumque votum essentialiter non differt ; quare Cælestinus III, cap. III, *Qui clerici,* hæc habet : « Simplex votum apud Deum « non minus obligat quam solemne ; » 2° quia Bonifacius VIII cap. unico, *de Voto*, in 6, et, ut alios præteream, Gregorius XIII const. *Ascendente Domino* 25 maji 1584 expresse testantur « quod voti solem- « nitas ex sola constitutione ecclesiæ est inventa ; »

(1) Institutiones juris publici et privati ecclesiastici, part. III, lib. II, cap. 9, § CLXXIX; pag. 421, Buscoduci, 1857.

3° quia solemne castitatis votum ex jure naturali et divino, tum primis ecclesiæ sæculis, tum posteriori ætate, debuit eadem virtute et efficacia præditum esse ; at viri admodum docti existimant solemne castitatis votum olim nuptias non solvisse; sed primum sub Gregorio Magno eam disciplinam propositam, et demum in concilio Lateranensi II legem generalem latam esse ut nulla et irrita forent matrimonia, quæ contra votum castitatis in religione approbata solemniter celebrarentur. »

Habemus itaque « nubem testium, » qui, licet aliquando in adscitis adventitiisque rebus minus inter se conveniant, hoc tamen fixum firmiterque statutum habent, non tantum solemnitatem votorum quæ in confirmatione per magistratus ecclesiasticos consistat, ex constitutione ecclesiastica invectam seu inventam fuisse, sed impedimenta dirimentia, inhabilitates et alia id genus, quæ ea nituntur, posteriora esse votis solemnibus, nil jam quod de eorum natura sit desiderantibus ; adjuncta itaque illa ad eorum naturam seu essentiam non spectare ; votis simplicibus non secus ac solemnibus inhabilitates illiusmodi ab ecclesia superaddi posse ; et quod si votis solemnibus additæ fuerint, id profectum esse ex libero antistitum ecclesiæ arbitrio, non ex traditionis perfectæ rationibus aut solemnitatis canonicæ necessariis elementis.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

INQUIRITUR UTRUM LEX ECCESIASTICA, QUA RELIGIOSI SOLEMNITER PROFESSI VETANTUR RERUM TEMPORALIUM DOMINIUM HABERE, SIT PROHIBENS DUMTAXAT, AN IRRITANS. QUÆ INDE IN PRÆSENTI RERUM CONDITIONE SEQUANTUR.

Demonstrasse itaque mihi videor solemnitatem votorum neque in traditione perfectiori, neque in vi producendi effectus morales esse positam, sed in interventione ecclesiæ, vota auctoritate sua confirmantis; et proinde impotentiam ineundi matrimonii, aut siquæ alia sit, non oriri ex natura solemnis

professionis aut necessario cum ejus essentia conjunctam esse, sed proficisci ex sola lege positiva ecclesiastica, quæ solemnitatem jam constitutam superveniat: ita ut, si hujus legis vis cesset qua demum cumque de causa, ideo non tollatur solemnitas. Quapropter, ut quod ad finem capitis primi pollicitus sum præstem aliquando, restat ut inquiram utrum lex, qua religiosi professi vetantur rerum temporalium dominium acquirere, solum prohibens sit, an irritans, et quæ inde propter temporum difficultatem proficiscantur indicem.

Non est quod quid lex prohibens sit et quid lex irritans definiam, quum verba omni definitione clariora sint; sed advertam, quemadmodum docet Suarez, ambarum vim non eadem ratione cessare. « Negatur enim, inquit (1), æquiparatio inter prohibitionem et irritationem, quia prohibitio natura sua admittit excusationem vel ignorantiæ, vel moralis impotentiæ, et ideo in casu morali frequenter cessat; nam (siquis recte consideret) fere in omni interpretatione legis per ἐπιείκειαν moralis quædam impotentia intervenit. Irritatio vero non fundatur in obligatione, nec requirit voluntatem vel potestatem subditi, sed potius inducit impotentiam quam-

(1) De legibus, lib. V, cap. 23, num. 6.

dam vel inhabilitatem in illo, ipso etiam invito, quæ per solam excusationem auferri non potest. Deinde in legibus simpliciter præcipientibus vel prohibentibus non est tam necessaria ad commune bonum uniformitas in observatione legis, quin moraliter possit sæpe expedire non observare legem; in legibus autem ponentibus forman substantialem vel inducentibus inhabilitatem magis necessaria est uniformitas, quia ordinarie sunt graviores et in earum transgressione est majus periculum; et ideo magis expedit bono communi, quod inviolabiliter serventur, quam quod in uno vel alio casu aliquod incommodum vitetur. »

Hinc convenit inter omnes vim legum irritantium multo difficilius cessare quam prohibentium, licet non una omnium ea de re sit sententia. Quæ exemplis illustrari facilius possunt quam verbis.

Scilicet prohibitum est absque bannis seu publicis denuntiationibus matrimonium inire; sed fac errore contigisse ut non in parochia, ubi nupturientes domicilium habent, factæ fuerint, aut parochum alterius partis subito in morbum incidisse, neque posse libertatis literas scribere; venire autem ambos sponsos absque testimoniis ullis aut cum invalidis coram legitimo parocho, dicentes: « Omnia parata sunt ad nuptias; bona fide fecimus quæ facienda rebamur; in alium diem transferri nequit

matrimonium nostrum, quin irrideamur ab omnibus. » Id si accidat, et accidit aliquando in hac patria nostra, nullus profecto theologus aut jurisconsultus reperietur quin sentiat vim legis, licet incommoda et damna singularia sint, cessare ; quoniam lex prohibens dumtaxat sit, eaque cum tanto detrimento non obliget.

Sed fac impedimentum irritans esse et secretum, ortum verbi gratia ex copula illicita; quod sine scandalo ad excusandam matrimonii dilationem publice enuntiari nequeat, atque iterum omnia parata esse ad nuptias : alii, ad ἐπιείκειαν confugientes, matrimonium celebrari posse autumant, facientes parocho licentiam declarandi legis irritantis vim, quum incommoda tanta sint, etiamsi privata, cessare ; contra alii negant omnino, nullam ἐπιείκειαν admittentes, quum damna particularia sint ; sentientes magis expedire bono publico ut irritantes leges, quibus communi utilitati potissime providetur, inviolabiliter serventur, quam ut in singularibus casibus aliquod incommodum, etiamsi gravissimum sit, vitetur.

Verum, si detrimenta generalia sint aut ad universam communitatem, civitatem, regnum aut hominum classem spectent, tunc censent omnes, nemine aut fere nemine dissentiente, omnium legum positivarum vim cessare; quoniam, quum primæ

legum conditiones sint ut rationabiles sint et ad commune bonum conducant, ambæ tum deficiant. Hinc principii loco ab omnibus statuitur : « Lex cessat vel suspenditur ex toto vel ex parte, si nociva fiat communitati. » Quod argumentum accurate examinatum videre est in Miscellaneis theologicis Leodiensibus (1). Verum non solum theologorum auctoritate doctrina illa nititur, sed pluribus sedis apostolicæ responsis. Ex quibus ne a re matrimoniali recedam, pauca indicasse juverit.

Lex irritans est statutum concilii Tridentini, quo invalidi decreti sunt contractus nuptiales, qui in parochiis, ubi præceptum publice propositum est, attentarentur extra parochi et duorum testium præsentiam. Quum autem ex Zelandia, ubi Tridentina lex promulgata fuerat, expulsi fuissent sacerdotes catholici, sedi apostolicæ propositum fuit dubium valerentne illic matrimonia, parocho non præsente, inita : affirmavit sacra congregatio interpretum concilii, consentiens Roberto cardinali Bellarmino, qui in eamdem sententiam die 19 januarii anni 1603 literas ad Octavium, nuntium apostolicum, dederat ; atque anno 1632, die 27 martii, et anno 1669, die 30 martii, iterum ad similia dubia, ma-

(1) Série VI, pag. 352 et sqq.

trimonia valida esse pronuntiavit. Ast, quum abhinc septuaginta fere annis schismati implicitæ erant Galliæ et catholici parochi passim exsulabant aut latebant, multo latius disciplina illa patuit. Scripserunt imprimis ad sedem apostolicam anno 1793 episcopi Lucionensis et Genevensis et biennio post anonymus; singulique idem responsum tulerunt (1). Verum, quum rescriptum, quod ad Genevensem antistitem delatum est, aliis copiosius sit, placet id hoc loco exhibere.

Tres itaque dubiorum classes Pio papæ VII proposuerat ille; quarum ultima id unum quæsitum continebat (2) : « Quænam scilicet postremo sententia tenenda sit de iis, qui cum ad parochum aut superiorem legitimum nullatenus, aut nonnisi difficillime recurrere possint, vel nullum alium possint adire quam parochum, juramenti aut communionis schismaticæ reum, alii coram sæculari magistratu : utrum videlicet tamquam irritæ prorsus haberi debeant nuptiæ hujusmodi, sicque nubentes ad alia vota transire valeant; aut si fœdere aliquo vinciantur, utrum invitari compellique debeant ad reci-

(1) Collectio brevium, tom. I, pag. 300; tom. II, pag. 139 et 206; et in collect. decretorum post librum Moser de Impedimentis matrimonii, pag. 195 et seqq.

(2) Ibid. tom. II, pag. 139.

piendam a vero ecclesiæ ministro sacram matrimonii benedictionem, »

Id, uti et reliqua, summa maturitate perpendit, consilio etiam habito selectæ cardinalium congregitionis, Pius papa VI; atque his verbis respondit : « Ad dubium unicum, matrimonia contracta coram sæculari magistratu, aut coram extraneo sacerdote, cum contrahentes ad parochum aut superiorem legitimum nullatenus, aut nonnisi difficillime seu periculosissime recurrere possint, esse valida quoties duo saltem adfuerunt testes, juxta resolutiones sanctæ congregationis concilii in causa Belgii die 27 martii 1632, in alia diei 30 martii 1669 et juxta resolutionem S. Officii in causa provinciæ Malabaricæ diei 8 maji 1659: in quibus adhæsit hæc particularis congregatio in resolutione capta die 22 junii præteriti in responsione ad epistolam Lucionensis episcopi ; monendos tamen esse contrahentes ut consulant suæ conscientiæ eo quod matrimonia, contracta coram schismaticis vel schismati adhaerentibus, tametsi in præfatis circumstantiis sint valida, sunt tamen illicita; necnon hortandos esse conjuges ut a parocho legitimo recipiant benedictionem, quatenus fieri possit citra periculum. Quoties autem duo saltem testes minime adfuerint, matrimonia esse invalida, et quatenus fieri possit, esse revalidanda ; ita tamen, ut si obstet aliquod

impedimentum juris ecclesiastici, dispensetur ab episcopo, quoties dispensandi facultate polleat ex concessione apostolicæ sedis; ad quam recurrendum erit, si de impedimentis agatur, in quibus dispensandi facultatem non habent ex ejusdem sedis apostolicæ delegatione. Matrimonia vero, contracta coram sæculari magistratu, aut coram extraneo sacerdote, cum nullum alium possint contrahentes adire quam parochum juramenti aut communionis schismaticæ reum, pariter esse valida, quoties duo saltem testes præsentes fuerint, et parochus proprius, sive propter juramentum, sive alia quavis ex causa schismati adhæserit; monendos tamen et hortandos esse conjuges ut supra. »

Qui anno 1818 Lovanii edidit eximium libellum Moser de Impedimentis matrimonii, addidit in fine instructionem Joannis Baptistæ cardinalis Caprara, legati a latere in Galliis, de validandis irritis matrimoniis (1). Nulla hujus rescripti recitandi est causa, quum in eo Pii papæ VI vestigia omnino relegantur, adeoque iterum declaretur matrimonia esse valida si duo testes dumtaxat adfuerint; (hi enim semper reperiri potuerunt;) quotiescumque ad legitimum parochum aut ad alium superiorem « nullatenus, aut nonnisi difficillime seu periculosissime recursus

(1) Moser, de Impedimentis matrimonii, pag. 233.

haberi potuerit: » qui autem « absque gravissima difficultate seu periculo » eosdem adire potuerint et neglexerint, jubentur novis pactis manus jungere. Atque hæc sufficere videntur, quo intelligatur etiam legum irritantium auctoritatem cessare, quum nonnisi summa seu gravissima difficultate aut periculo servari possint; saltem si difficultas hæc aut periculum commune sit.

Quodsi jam respondendum sit ad quæsitum, quod initio hujus capitis proposui, alios audire malim quam ipse proloqui. Quod quum frustra optem, lectoris judicio permittam omnia. Imprimis, quum communissima sit sententia religiosos, solemniter professos, dominii incapaces esse, nullus dubito quin regulis aliquot et constitutionibus, a sancta sede approbatis, id insertum fuerit; verum hinc universales non oriuntur leges, quas solas inquirimus. Porro juris consulti et theologi hæc vulgo afferunt: imprimis caput *Non dicatis*, ex sermone S. Augustini de vita communi depromptum, quod his verbis concipitur (1): « Non dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo literas vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi et oretur

(1) Caus. 12, quæst.cap. I, *Ne dicatis*,

pro illo. Si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium presbyteri vel præpositi gravius emendetur, cum hujus nostræ congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus propriis in ipsa ordinationis susceptione renuntiaverint et per se promissam obedientiam penitus aliorum potestati et imperiis in Christo et pro Christo subdiderint : certum est eos nihil habere, possidere, dare vel accipere debere sine superioris licentia. Quodsi propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primo quidem priori insinuetur, et sic suscipiatur, si ipse mandaverit. De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod priori placuerit. » In quo capite profecto nihil est quo significetur monachos et religiosos a facultate possidendi factos fuisse vacuos; et certissime hæc non erat S. Augustini sententia, ut evidenter paruit ex ejus cum S. Alypio controversia et ex Januarii presbyteri negotio ; de quibus supra dixi.

Profertur secundo loco canon *Monachi non pretio*, sumptus ex concilio Lateranensi, quod anno 1179 celebravit Alexander papa III. « Monachi, verba sunt concilii (1), non pretio recipiantur in mona-

(1) Cap. *Monachi*, de Statu monachorum, (lib. III, tit XXXV, cap. 1.)

sterio, nec peculium permittantur habere, nec singuli per villas et oppida per quascumque parochiales ponantur ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum exspectent.... Qui vero peculium habuerit, nisi ab abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, a communione removeatur altaris, et qui in extremis cum peculio inventus fuerit et digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam : quod etiam de universis religiosis præcipimus observari. Abbas autem, qui diligenter ista non caverit, officii sui jacturam se noverit incursurum. » Quæ lex, nisi mea me fallat opinio, prohibens est, non irritans.

Tertio invocatur caput *Cum ad monasterium* ; sed de eo satis supra dixi, ut iterum demonstrandum non sit hinc concludi non posse professos, dominii incapaces esse. Concedit id ipse alia de causa Suaresius, testis utique admittendus, ubi scholaticos nostros, patrimonio etsi non abdicato, ostendit vere religiosos esse ; et cùm eo conveniunt multi alii contendentes agi ibidem de usu independenti, non de ipso dominio. Demum allegatur locus ex capite II sessionis XXV concilii Tridentini de regularibus : « Nemini igitur regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, cujuscumque

qualitatis fuerint, et quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria possidere. » Sed et hujus decreti forma non irritantis, sed prohibentis legis est. Neque alia forma usus est Clemens papa VIII in constitutione *Nullius omnino*, qua *præcepit* ut Tridentinum decretum sancte observaretur.

Quare nonnulli theologi et maxime juris consulti arbitrantur impotentiam adeundi aut retinendi terrenarum rerum dominii, qua religiosos laborare volunt, potius referendam esse ad leges Justiniani, canonisatas (ut loqui amant) ab ecclesia, quam ad literas pontificias decretales et conciliorum statuta. Audiatur itaque gravissimus vir Josephus Carrière : « Satis communiter, ait (1), hujus disciplinæ originem repetunt ex quadam lege Justiniani imperatoris; quæ, cum fuerit ab ecclesia admissa, fuit canonizata, ut loquuntur canonistæ. Scilicet Justinianus, in Novel. CXXIII, cap. XXXVIII, *Si qua mulier*, statuit, si quis intraverit monasterium, « filiis non » extantibus, monasterio res ejus competere; » filiis vero extantibus, determinat quænam ipsis tribui possint vel debeant ; vult autem « ut reliqua sub- » stantiæ pars monasterio competat. » Cap. XLII, ibid., agens de eo qui monasterium relinquit, « pa-

(1) De jure et justitia, part. I. sect. I, cap. IV, num. 203.

» riter proprio monasterio, in quod ab initio ingressus » est, res ejus competere » jubet. Eadem sanciuntur in Nov. IV, cap. IV et seq. : expresse dicitur de rebus illius, qui monasterium ingressus est : « Non » erit dominus earum ulterius ullo modo. » Leges illæ insertæ sunt in codice post l. 13, I, II, *de Sacrosanct. ecclesiis,* et post l. 20, I, III, *de Episcopis et cleric.* Porro S. Gregorius Magnus ad hanc Justiniani legem alludens, hæc scribebat episcopo Calaritano (l. IX, epist. VII, t. III, col, 931) : « Quia » ingredientibus monasterium convertendi gratia, ul- » terius nulla sit testandi licentia, sed res eorum » ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis defini- » tione decretum est. » Hæc refert Gratianus caus. XIX, quæst. III. Ita autem concludit S. Gregorius : «Alia igitur omnia, quæ ex testamento prænominatæ » Siricæ detinentur, quippe quod nullum esse legali » sanctione permittitur, necesse est ut juri mona- » sterii fraternitatis vestræ sollicitudine sacerdotali » per omnia studio reparentur : quia imperiali consti- » tutione aperte sancitum est ut ea, quæ contra leges » fiunt non solum inutilia, sed etiam pro infectis ha- » benda sint. »

Verum enim vero ex constituto consistoriali, quod ipse S. Gregorius in causa Probi abbatis fecit et in quo manifeste allusit ad leges imperiatorias de monachorum paupertate, evidentur se-

quitur sanctissimum pontificem non arbitratum esse hinc solemniter professos factos esse dominii incapaces ; dein leges illæ de solis monachis sunt, monasteria incolentibus ; ast eremitas, quos tum non minus quam cœnobitas religiosos fuisse constat, iis legibus obstrictos non fuisse ex eodem illo constituto facile colligere est.

Quamobrem alii, ut placitum de incapacitate religiosorum acquirendi dominii stabiliant, eos civiliter mortuos esse pronuntiant. Verum id pronuntiatum numquam ubique receptum est ; atque in ipsis Galliis, ubi omnium maxime vulgare fuit, nullo jure nitebatur : ita ut ipse Merlin (1) falsam præjudicatamque opinionem fuisse sæpius affirmet.

Quod forte omnium potissimum est, communem vitam profitentur religiosi ; de qua capite primo dixi. Atque ex hac, non secus ac ex societate, quæ communitas bonorum, lucrorum et damnorum dicitur, ortum esse videtur adagium : « Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio. » Verum communem vitam profitebantur S. Augustini presbyteri et monachi; profitentur et eam Societatis nostræ religiosi; et tamen scholastici sinuntur patrimonium servare, neque omnes S. Augustini servi Dei

(1) Questions de droit, v° Mariage, § V.

(id enim eis dabatur frequenter nomen) omnem proprietatem abdicabant : et certe in omni universitate et collegio nil impedit quin reliqui consentiant ut unus aliquid proprii habeat.

Neque ex memoria excidere potest, dum illud in quæstione est, decretalis epistola Innocentii papæ III *Insinuante,* Corpore juris clausa, per quam (ut alibi vidimus) declaratur mulieres solemni religionis professione, quæ impedimentum matrimonii dirimens sit, obligare se posse, « eo adjecto tenore, ut in domo propria cum omni substantia sua remaneant. »

Hæc licet ita esse videantur, dicamne leges, quibus religiosi, solemniter paupertatem professi, proprietarii esse vetantur, dumtaxat prohibentes esse, nequaquam irritantes, eorumque proinde vim et auctoritatem cessare, etiam quum incommoda privata sint? Non ausim ; quoniam pauci solummodo theologi aut potius jurisconsulti, qui scilicet concedunt eos ad breve tempus res suas retinere posse, id placitum probare videntur ; reliquis omnibus uno fere ore negantibus : unde dicendum forte est usu et consuetudine inductam fuisse illam impotentiam. De qua re judicare velint meliora me ingenia.

Utut autem illa se habent, dubitandum non videtur quin dominii incapaces sint Societatis nostræ

professi, quos quippe S. P. Ignatius omnino spoliatos voluit « jure aliquo civili. » Hæc verba sunt formulæ, quam probandam obtulit Julio III papæ et probatam vidit (1) : « Voveant singuli et universi pauperum panpertatem, ut non solum privatim, sed neque etiam communiter possint professi vel ulla eorum domus aut ecclesia ad aliquos proventus, reditus, possessiones, sed nec ad ulla bona stabilia, præter ea, quæ opportuna erunt ad usum proprium et habitationem, retinendi jus aliquod civile acquirere, rebus sibi ex caritate donatis ad necessarium vitæ usum contenti. » Quum itaque jus ablatum sit, legem irritantem esse confitendum videtur. Quare, licet Gregorius XIII papa pronuntiet « eos esse omnis hæreditariæ successionis incapaces, nihilque omnino proprii juxta Constitutiones habere posse ; » hæc verba non ita interpretanda sunt quasi prior pars lex irritans esset et posterior prohibens ; sed acsi utraque pars eamdem haberet vim, scilicet professos æque incapaces esse omnis proprii ac hæreditariæ successionis. Neque scio id umquam aliter a quoquam intellectum fuisse, aut cogitatum non omne jus sublatum

(1) Institutum societatis, tom. I, pag. 23 et 24, Pragæ 1757.

esse, quum jus *civile* dumtaxat, quod scilicet judicio prosequantur, memoraverit sanctus Pater.

Verum, etiamsi statuendum videatur legem, qua professis dominium interdicitur, irritantem esse, nil id nos moratur : incommoda enim, pericula atque etiam damna non ad paucos privatos aut ad unam vel alteram domum religiosam spectant, sed ad universa Galliæ, Belgii et Neerlandiæ monasteria, collegia, conventus et alias quocumque nomine stationes regulares ; neque hæc mea unius sententia est, sed omnium qui rationes publicas cisrhenanarum regionum perspectas habent. Novisti tu, mi frater, quot cum jurisperitis, magistratibus atque etiam episcopis ea de re actum sit ; atque omnium unum fuisse consilium summis periculis religiosorum res objectas esse, nisi sincere et palam declarent se non alio possidere velle modo ac reliquos cives : quin etiam hanc fuisse causam operis, quod moliebar et cujus summarium hac epistola conclusi. Quum enim scirent episcopi me nonnihil huic argumento explicando operam dedisse atque etiam pluribus ante annis in Commentario de S. Ursula (1) scripsisse : «Mihi in animum inducere nequeo omnem proprietatem pugnare cum essentia voti paupertatis, etiam

(1) Acta SS. tom. IX Octobris, pag. 224.

solemnis ; aut per id votum religiosum incapacem fieri omnis proprietatis. Re quidem vera proprietas hæc nunc per ecclesiæ leges et ordinum religiosorum regulas eis interdicitur; quæ de jure ordinario sancte servandæ sunt. At quis dubitet quin in his ut in aliis ecclesiæ legibus locus esse possit ἐπιεικείᾳ (seu benignæ interpretationi), v. g. ubi necessitas ita agendum esse suadet propter legum civilium immutationem ? Certe vulgaribus parœmiis traditur : « Necessitas non novit legem ; » et « Prius « est vivere et dein philosophari. » Verumtamen aperte simul fatendum est, quum solemnitas votorum plerisque theologis et jurisconsultis, (nixis perspicua Bonifacii VIII et Gregorii XIII disciplina,) videatur esse de jure ecclesiastico, ecclesiæ præpositis jus esse declarandi vota nulla, porro emissa, solemnia fore, nisi religiosi omnis proprietatis incapaces fiant : quale decretum generale nullum hactenus latum fuisse novimus ; » hæc itaque quum Belgii episcopis innotuissent, communi consilio Mechliniæ ea de re habito, omnium nomine ad provinciæ nostræ præsidem literas dedit eminentissimus vir Engelbertus cardinalis Sterckx, quibus petebat ut latius exponendi et confirmandi argumenti illius onus mihi imponeretur. Adeo manifesta sunt religiosorum domorum discrimina !

Aucta sunt autem plurimum illa discrimina ex

quo Ven. V. Dominicus Bouix Tractatum suum de jure regularium prelo excusum edidit, quo docet dominium civile religiosorum nonnisi figmentum esse.

Accipe ut mentem suam patefaciat. « [Lex sæcularis,] inquit (1), impedire nequit quin immobilia etiam bona de facto possideat [communitas religiosorum professorum.] Equidem sæcularis potestas impedire valet et revera hodie in Gallia aliisque regionibus impedit ne religiosa communitas a lege habeatur tamquam persona moralis, dominii capax. At vero, non obstante illa incapacitate, in legibus a potestate sæculari expressa, adhuc potest religiosa communitas verum dominium in rem immobilem de facto habere, si possit eam ita acquirere ut valeat efficaciter et licite illa uti et pro arbitrio de illa disponere : atque id valet communitas, quantumvis a lege incapax dominii decernatur. Nam potest aliquem e religiosis deputare ad emendum (verbi gratia) agrum, pecuniam ad id necessariam ei tradendo. Cum vero religiosus, non secus ac quilibet alii cives, coram lege sit dominii acquirendi capax, poterit ex facultate, sibi ad id a superiore data,

(1) Tractatus de jure regularium, part. III, cap. II. tom. I, pag. 395 et seqq.

contractum suo nomine inire, ita ut ad terminos legis videatur esse dominus et ut talis, attenta lege, reputari debeat; reapse tamen non ipse verus erit dominus, sed communitas. Nam cum jam sit professus, nequivit coram Deo ullum dominium sibi acquirere. Unde totum, quod præstitit, tamquam minister communitatis egit et ad meram administrationem reducitur. Et bene notum est administrationis actus quoad bona temporalia præstari posse etiam a religioso professo, quamvis dominii incapace. Remanet ergo ut agri sic empti dominium revera sit penes communitatem, et FICTE dumtaxat religioso tribuatur. Et potest communitas de agro illo pro arbitrio disponere, (donare verbi gratia vel vendere,) jubendo eidem religioso, qui personam domini coram lege agit, ut actus ad id idoneos exserat. Ergo revera, quamvis communitatis a lege sæculari decernatur dominii incapax, potest *efficaciter* dominium acquirere.

« Id etiam potest *licite*. Nam ideo illicitus prætenderetur ille agendi modus, quia religiosus, FICTE agens personam domini, mendacii reus censendus foret; cujus peccati totam communitatem, utpote ad id eum deputantem, consortem haberet et complicem. Porro ibi nullum intervenit mendacium. Nullum enim adest mendacium, quando nemo fallitur. Sed in præsenti casu notorietatis est publicæ religi-

osum, qui emptionis venditionisve aut similes contractus suo nomine init, id præstare ex mandato communitatis et tamquam ejus minister ; hancque ipsius esse mentem et intentionem, quantumvis aliter sonent formulæ, quibus subscribit, ut sese legis necessitati aptet.

« Ergo tandem potest et de jure et de facto religiosa communitas bona temporalia possidere, quamvis lex sæcularis eam cujuslibet possessionis seu dominii incapacem esse decernat.

« Et revera hodie in Gallia et in aliis regionibus, ubi religiosi ut tales a lege sæculari non agnoscuntur, bona temporalia possident communitates religiosæ prædicto modo. Inscribuntur nempe illa bona nomine aliquot membrorum communitatis. Sed religiosi illi, qui coram lege censentur bonorum domini, revera nequaquam domini sunt, nec minus furti et sacrilegii reos se facerent, si quidquam ex istis bonis sibi absque licentia usurparent aut de iis disponerent, quam cæteri quilibet, quibus non competit FICTITIUS ille coram lege sæculari titulus. »

Quanta juris napoleoniani ignorantia hæc scripta sint et quam gravia ex illis placitis sequantur incommoda incurrit in oculos ; et certe ut quis intelligat fiscum regium, ea nixum doctrina, petere posse ut omnia professorum bona, utpote de proprietate nul-

lius (1) (siquidem professi fictitii solum sint possessores, communitas vero per leges civiles possidendi incapax statuatur), sibi adjudicentur et ut eorumdem venditiones, donationes et testamenta infirmentur, necesse non est utriusque juris laurea insigniri.

Sed ibi non stetit venerabilis vir. Non secus ac si plane ignoraret quæ in tribunalibus Gallicis et Belgicis agitata fuissent et pluribus libris propugnata, aliquot dein propositiones in medium producit; quas admirationi et stupori omnium religiosorum et maxime jurisconsultorum juverit exposuisse, ut quanti in universo hoc rerum genere venerabilis viri auctoritas facienda sit intelligant. Ecce (2) : « *Propositio I.* Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt difficultatibus obnoxii quoad bona ante professionem possessa. *Propositio II.* Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt difficultatibus obnoxii quoad bona, ipsis post professionem per actus inter vivos obvenientia. *Propositio III.* Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt gravibus difficul-

(1) Cod.civ . art. 539: « Tous les biens vacants et sans maître et ceux des personnes qui décèdent sans héritiers ou dont les successions sont abandonnées appartiennent au domaine public. »

(2) Tract. de jure regul. part. I, cap. VII, pag. 448 et seqq.

tatibus obnoxii quoad bona, ipsis per testamentum vel jure hæreditario obvenientia ; » atque ubi has propositiones evolvit, *chimæricas* appellat eas difficultates, arbitratus nil incommodi esse in adhibendis substitutionibus, fideicommissionibus, fraudibus et fictionibus.

Atque hæc, si scripta fuissent a viro impio aut regularium hoste, silentio potuissent præteriri, ut tot aliæ malo omine in publicum prodeuntes lucubrationes : sed se virum ubique ecclesiæ Dei et religiosis ordinibus amicum prodit auctor et illorum jurium propugnatorem. Verum his diutius inhærendum non est, ut quicumque plane non cœcutiant videre possint quantum creverint a parum prudenti illa scriptione religiosorum pericula et difficultates.

Et quoniam, ut initio monui, parum fidendum est distinctioni, quæ inter collegia universitatesque, a republica institutas, aliasque, peculiaribus ex conventis ortas, intercedit, (quod olim errore ad prius genus religiosæ domus referri solerent,) nil superest quam ut religiosi, non ut universi, habitacula sua et res alias possideant, sed ut singuli, viritim, non secus ac vulgo reliqui cives. Atque ita jam pridem faciendum visum est tum in Belgio, tum in Gallia, non ficte aut simulate, sed vere sincereque, maxime quod nil periculosius sit quam fictiones seu fideicommissiones : siquidem tribunalibus, neglecta

fere actuum forma, potestas sit in eas inquirendi.

Standum itaque in Belgio est iis, quæ in comitiis publicis seu congressu nationali disputata fuerunt. Fuere quidem in eis legati aliquot, qui voluissent corpora moralia erigi posse, quibus sua essent habitacula et reditus trecentorum aut quadringentorum francorum iu singula capita. Verum, licet hæ postulationes modestissimæ essent et longe maxima legatorum pars religionis commoda vita potiora ducerent; quum tamen timor esset ne hæc, licet omnibus societatibus communia, usu viderentur aliquando privilegiis similia, et turbatissimis hisce temporibus quidquid privilegii speciem habet odiosum sit; adeoque quum in jure communi, quod sine omnium civium dispendio impugnari non possit, tutissimum præsidium positum esse videretur; pluribus consultius visum est ipsis societatibus piis nullum singulare proprietatis jus asserere. Vicit itaque adversa pars; ita ut regni constitutio nunc hæc sola contineat verba: « Les Belges ont le droit de s'associer. Ce droit ne peut être soumis à aucune mesure préventive. »

Quorum verborum quæ sit significatio, desumi posse videtur ex his, quæ tres legati publice in comitiis dixerunt. Cl. V. van Snick, monasteriis palam inimicus, ita sententiam suam protulit (1): « La li-

(1) Huyttens, Congrès belge, tom. III, pag. 343.

berté individuelle du capucin sera garantie, non comme capucin, mais comme citoyen. La loi ne doit voir que cette qualité. L'asile où plusieurs moines pourraient se trouver réunis, sera inviolable comme l'asile de tous les autres individus, mais toujours comme citoyens. La loi ne connaît pas les moines; le moine est la personne religieuse. La loi civile ne la connaît pas; c'est pour cela que nous nous accordons tous à dire que les moines, quand ils le trouveront bon, pourront se marier civilement, soit qu'ils aient quitté, soit qu'ils aient conservé le froc. Ces principes posés et reconnus, comment prétendre qu'une congrégation religieuse, dont l'existence, comme telle, doit rester ignorée de la loi, reçoive cependant une *personnification* qui la rende apte à acquérir? C'est vouloir des contradictions, des impossibilités. Les capucins, les récollets, s'il nous en vient, pourront acquérir, soit individuellement, soit en commun, mais comme citoyens; leurs acquisitions suivront le sort de tous les immeubles acquis par des particuliers. » Hæc die 5 februarii 1831.

Duobus mensibus post Exc. V. E. de Sauvage, rerum interiorum minister, qui ipse ad congressum nationalem legatus erat, ad provinciarum præsides literas dedit, quas non inutile fuerit recitasse (1):

(1) Ibid., tom. cit. pag. 475.

« M. le gouverneur, l'article 20 de la Constitution, qui reconnaît aux Belges le droit de s'associer, ne donne point aux associations qui seront formées en vertu de cette disposition, dans un but religieux, philosophique, industriel, etc. le droit d'acquérir et de transférer des biens, comme *personnes civiles,* elle ne leur confère aucun *privilége semblable,* et laisse entière la législation préexistante à cet égard. Quant aux associations précédemment reconnues comme personnes civiles, elles restent soumises aux obligations que leur imposent les lois et règlements qui les instituent. Elles ne peuvent scinder les conditions de leur existence en cette qualité. L'arrêté du gouvernement provisoire, en date du 16 octobre dernier (*Bull.* n° 12) ne contient aucune disposition qui confère de plein droit aux associations, les droits réservés par la loi aux *personnes civiles*, ou dispense des obligations qui leur sont imposées les associations déjà existantes et auxquelles *ces droits sont attribués*. Cet arrêté n'est donc en rien contraire aux présentes instructions, que je vous prie, M. le gouverneur, de suivre exactement, relativement aux associations déjà établies ou qui se forment dans votre province. Agréez, etc.

« Bruxelles, 16 avril 1831.

« Le Ministre de l'Intérieur,
E. De Sauvage. »

Quum inde molestiæ aliquot exortæ essent in quibusdam monialium conventibus, quos tolerarat, nequaquam autem confirmarat gubernium Guilielmi I regis, die 28 junii ejusdem anni Carolus vicecomes Vilain XIIII interpellavit ea de re ministrum publicum, qui in hæc respondit verba : « L'honorable préopinant, Messieurs, a mis la question où elle n'était pas. Je me souviens des instructions qu'il vient de lire, et je me félicite d'en avoir conservé le souvenir à travers une foule d'autres affaires administratives. La question qu'il s'agit de poser est de savoir, si, parce que la Constitution a proclamé la liberté d'association, les congrégations religieuses doivent échapper à la surveillance du gouvernement. Il s'agit encore de savoir s'il sera permis à des corporations religieuses de posséder des biens sans que le gouvernement s'enquière de leur usage. Je ne conçois pas qu'une corporation possède des biens autrement que comme personne civile, et je nie que mes instructions aient été adressées à des corporations qui ne possédaient pas des biens. »

Quæ quum obscura valde essent et aliud innuere viderentur quam quæ forte cogitaret minister publicus, surrexit eques de Theux de Meylandt, cujus auctoritas jam tum maximi erat ponderis : « Je dois relever, ait, une erreur échappée à M. le ministre. Il a dit que toute association qui possédait des

biens était personne civile. Je conteste une pareille assertion. Pour être personne civile, il faut que la personne soit morte et que la société subsiste ; qu'au décès d'une des personnes appartenant à l'association, ses parents n'en héritent pas, mais la société. Des personnes peuvent s'associer et mettre leurs biens en commun sans être personnes civiles ; il suffit pour cela que les parents héritent des biens que le défunt avait mis dans la société, (nisi de his ante mortem disposuerit). C'est ainsi que vous l'avez entendu lors de la discussion de la Constitution. » Ad hæc nemo quidquam animadvertit, quum manifestissima essent.

Intellexerunt itaque religiosi Belgæ difficillimam suam esse conditionem ; neque securitatem, neque quietem ullam fore, nisi ut singuli possiderent : legemque proinde, qua in genus dominium eis interdicitur, etiamsi irritans sit, quum tamen positiva sit et ad solemnitatis essentiam non pertineat, cassam esse. Neque hæ meæ voces inanes sunt : coram habeo, quæ circa annum 1835, dum Gandæ adhuc esset seminarium nostrum theologicum, publice ex pulpito ad scholasticos nostros, cum Belgas, tum Batavos, proposuit theologiæ dogmaticæ professor ; qui ipse, Romæ literis sacris eruditus, aliquot annos easdem in Belgio explicuit ; deinde aliquandiu inter Bollandianos sodales versatus, plura demum colle-

gia atque etiam universam provinciam regere jussus fuit. Is itaque clare statuit rerum temporalium dominium non pugnare cum essentia voti solemnis paupertatis, et religiosorum in hac parte officia ecclesiæ legibus finienda esse ; quas leges severiores aut mitiores esse posse pro temporum conditione, quin etiam consuetudine, dispensatione, aliisque viis abrogari aut minui. Quod principium est, quo universa hæc mea scriptio nititur.

Quam vero in Gallia secuti fuerint regulares professi sententiam intelligi potest ex his, quæ anno 1844 et 1845, quum adversus Societatem nostram acerima sæviret tempestas, in ejus defensionem publice fuere declarata. Horum omnium quasi anima et mens fuit P. Xaverius de Ravignan, vir prudens sanctusque et insignis olim in tribunali Parisiensi magistratus; cui Societatis patrocinium præpositi plane commiserant, ut in ejus Vita legitur. In lucem itaque dedit anno 1844 libellum suum de exsistentia et institutis Jesuitarum (1), simul cum epistola, quam Cl. V. de Vatimesnil de legitima religiosorum in Gallia conditione ad se dederat et cum ejusdem commentario de eorumdem statu (2).

(1) De l'existence et de l'institut des jésuites. Paris. Bruxelles, etc. 1844.

(2) Lettre de M. de Vatimesnil au R. P. de Ravignan,

Quæ ad religiosorum jura spectant, attigit ea tantum Ravinianus, nequaquam tractavit, relinquens id negotium pristino suo collegæ et amico (1); sententiam tamen suam apertissime demonstravit: « En me faisant religieux, inquiens (2), je n'ai entendu ni abdiquer ma patrie, NI VIOLER SES LOIS, NI RENONCER A MES DROITS OU A MES DEVOIRS DE CITOYEN, » et alibi (3): « Aux yeux de l'État, des hommes, des prêtres réunis dans des habitudes communes et purement religieuses, peuvent n'avoir sans doute AUCUN DROIT politique ou CIVIL DE CORPORATION ; et NOUS NE RÉCLAMONS RIEN A CET ÉGARD ; mais ces prêtres réunis, qui n'exercent au dehors d'autres fonctions que celles qu'ils tiennent, comme tous les autres prêtres, de la juridiction épiscopale, sont légalement inattaquables ; ou bien la liberté religieuse est un mensonge, et le droit public français, la loi fondamentale, une déception :

suivie d'un mémoire sur l'état légal en France des associations religieuses non autorisées. Paris, 1844.

(1) « M. de Vatimesnil, mon ancien collègue, consulté par moi, m'a adressé un mémoire que je publie avec l'extrait d'un travail antérieur sur la position légale des associations religieuses en France. » De l'existence et de l'institut des jésuites, pag. II, not. 1, edit. Bruxell.

(2) Ibid. pag. 6.

(3) Ibid. pag. 12.

car alors les paroles ont perdu leur vrai sens, et les mots n'expriment plus les idées. » Quid jam Cl. V. de Vatimesnil (1): « Veuillez, mon ami, vous pénétrer de la doctrine que j'établis dans ma consultation. Elle peut se résumer ainsi : les congrégations religieuses non reconnues par la loi ne forment pas des personnes civiles capables de posséder, de recevoir, de transmettre et d'ester en jugement ; mais rien n'empêche les individus qui appartiennent à ces congrégations de se réunir, de vivre en commun et de suivre leur règle, pourvu que tout se passe dans l'intérieur d'une maison et que rien n'ait le caractère d'exercice public du culte. Ces individus peuvent même régler par un acte les conditions civiles et pécuniaires de l'association qu'ils forment pour pratiquer la vie commune. La loi ne saurait voir en eux que de simples particuliers qui ont fait un contrat qu'aucune disposition de nos codes ne prohibe. »

Sed nedum sedata fuerit tempestas, anno sequenti commovit Societatem nostram validius ; ita ut regium gubernium in comitiis legatorum publice pollicitum fuerit se cœtus nostrorum disjecturum esse. Quare denuo commiserunt Societatis nostræ præpositi P. Raviniano communis causæ defen-

(1) Lettre, etc., pag. 18.

sionem. Convenit itaque præstantissimos homines, quorum nomina in benedictione erunt perpetua. His visum est gubernio resistendum esse et civilia jura coram tribunalibus vindicanda : quæ res licet gravissima esset, assensit suo sodaliumque nomine Ravinianus. Quare die 3 junii prodiit consultatio H. de Vatimesnil, Berryer, Béchard, Mandaroux-Vertamy, Pardessus, Fontaine, Julii Gossin, Lauras, et Henrici de Riancey, qua præclara illa fori Parisiensis lumina demonstrare conati sunt nullis legibus societates religiosas prohibitas esse et certe eas dissolvi non posse, nisi tribunalibus videantur esse illegitimæ. Hæc dum agerent, ad proprietatis jus, quo religiosi Galli ut cæteri cives fruuntur, confugerunt. « Qu'arrivera-t-il donc? inquiunt (1). Que les religieux chassés de leur maison y rentreront ; car un ou plusieurs d'entre eux sont propriétaires de cette maison. La charte a déclaré *toutes les propriétés inviolables, elle a aboli la confiscation* (art. 8 et 57). Aucune loi n'autorise d'ailleurs la haute police à s'emparer d'une maison ni à en prendre

(1) Discussion à la chambre des pairs sur l'existence légale des jésuites dans les séances des 11 et 12 juin 1845, publiée par le comité central pour la défense de la liberté religieuse et suivie de la consultation sur les mesures annoncées contre les associations religieuses, pag. 210.

possession. Les questions de propriété et celles qui concernent tous les attributs des propriétés sont exclusivement du ressort des tribunaux. Il est donc impossible que la mesure de l'expulsion atteigne le propriétaire, et alors qui l'empêchera de réunir de nouveau chez lui ses confrères, lorsqu'il croira le pouvoir légalement et le devoir en conscience. En tout cas, la congrégation irait habiter une autre maison, que l'un de ses membres achèterait ou louerait.»

Idem deinde negotium in parium Franciæ comitiis agressus est comes de Montalembert ea eloquentiæ vi et ubertate, cujus memoria e nullius animo hactenus exciderit. Ipse tamen vix attigit imminentem proprietatis violationem, hanc curam relinquens comiti de Beugnot, viro utique juris peritissimo. Hic itaque ait (1) : « Il est un autre droit encore plus digne de respect (que le droit de n'être pas distrait de ses juges naturels), que les ministres attaquent ou qu'ils attaqueront bientôt ; mais, pour celui-ci, je n'éprouve aucune crainte ; il saura se défendre lui-même. Je parle du droit de propriété. Les jésuites sont propriétaires de maisons qu'ils habitent, ou du moins quelques-uns d'entre eux sont, en vertu de titres authentiques et d'une

(1) Ibid., pag. 80 et seqq.

date ancienne, propriétaires de ces maisons. A Paris, si je ne me trompe, la maison de la rue des Postes est la propriété de huit jésuites ; » et dein fuse prosecutus est argumentum Jesuitas ex proprietate sua extrudi non posse, quin vulnus inferatur juribus proprietariorum totius Galliæ; quod et post eum fecit marchio de Barthélémy (1). Sed ex singulari loco, scilicet penes octo jesuitas proprietatem esse domus, quam incolebat Ravinianus, plene liquet illa dicta non fuisse nisi quod antea ea de re convenisset inter parem Franciæ et Jesu socium; quod præterea in hujus Vita fuse explicatur; ita ut dubitandum non foret quin Raviniani sensa in medium protulerit comes de Beugnot, etiamsi ille anno ante non scripsisset : « En me faisant religieux, je n'ai entendu ni abdiquer ma patrie, *ni violer ses lois, ni renoncer à mes droits* ou à mes devoirs de citoyen.»

Neque quemquam hactenus novi regularem virum qui aliam sententiam publice proposuerit. Sæculares quidem presbyteri de ea re in utramque partem scripserunt; quod id argumentum vix omitti possit quando de votorum solemnitate disputatur. In eo enim posita est hæc controversia utrum vota religiosorum in Gallia, Belgio, Neerlandia aliisque

(1) Ibid., pag. 143.

regionibus sint solemnia necne ; aliis negantibus propterea quod illic religiosi vere proprietarii sint; aliis affirmantibus, quoniam dominium, quod habent, titulus potius sit quam res ipsa (1). Sed nulli (quos sciam) regulares huic se controversiæ immiscuerunt, compertum habentes vota sua solemnia esse, ut multis sanctæ sedis testimoniis constat, et se vere rerum suarum proprietarios esse, quum aliter fieri non possit, ideoque in angustiis, in quibus versantur, lex contraria eos non obligare videatur: numquam enim decretum fuisse ab ecclesia abdicationem bonorum et incapacitatem dominii necessarias esse conditiones ut votum solemne sit, quemadmodum Ill. V. Bouvier et Ven. V. Carrière voluerunt, addentes has leges per disciplinam præsentem tam arcte solemnitati votorum annexas esse, ut, si non serventur, vota solemnia non sint. Ipsi tamen, quæ summorum virorum inconstantia est, aliter philosophati sunt, ut Vasquesiano verbo utar, ubi legem Tridentinam, irritantem clandestina matrimonia, interpretati fuerunt.

Quod vero decretum hactenus ab ecclesia latum non esse modo dixi, non puto umquam futurum

(1) Cfr Carrière, de jure et justitia, part. I, sect. I, cap. IV, numm. 221 et seqq.

ut id feratur ; nisi, sicut omnes fere conditionis nostræ periti æstimatores sentiunt, susdeque vertendus videatur in Gallia, Belgio et Neerlandia universus status religiosus, tot impensis et tam diuturna sollicitudine iterum a ruina erectus.

Quodsi in difficili hoc rerum statu cassa fit legum irritantium auctoritas, cessat a fortiori obligandi vis decretorum, statutorum, constitutionum, regularum et et quo alio nomine appellantur singularum religionum leges : quin etiam, quum apud omnes theologos in confesso sit hanc partem officiorum, quæ ex votis, modo qualicumque nuncupatis, exsurgunt, cessare, quum, ut loquuntur, « impeditiva facta est majoris boni, aut impossibilis absolute vel moraliter, » dubitandum non videtur quin etiam ii, qui solemniter spondent « se sine proprio victuros, » res temporales possidere possint, quantum necesse est. Necessitas enim, ut licentiæ origo et causa est, sic etiam mensura.

At dicet forte aliquis hæc fieri posse, si Romanus pontifex in legibus de paupertate religiosa dispenset ; sin autem, non posse. Equidem sæpe miratus sum omnes quidem consentire legum ecclesiasticarum auctoritatem non solum suspendi aut cessare per abrogationem, derogationem, dispensationem, aliosve supremi magistratus actus, verum etiam per desuetudinem legitimam, quando publico vel noci-

væ fiunt, aut quando integre cessat earumdem ferendarum causa et in aliis id genus rerum conditionibus; quum autem gravissimi viri fateantur omnia adesse, quæ a theologis et jurisconsultis requiruntur ut lex non censeatur amplius obligare, eos tamen non audere evidentem consequentiam ex positis principiis deducere, sed sanctam sedem adeundam esse pronuntiare, a qua dispensatio postuletur : laudabilis utique conscientiæ timor, laudabilis reverentia erga Petri cathedram, sed minus laudabilis logica, propositionis et assumptionis consectaria reformidans.

Equidem non semel interrogatus fui an suadendum videretur ut in lege ecclesiastica, qua religiosi solemniter professi dominii incapaces perhibentur, dispensatio pontificia peteretur; neque umquam habui quod responderem. Memini legere Fratres Minores aliquot, degentes (ni fallor) in Borussia, rescriptum a sede apostolica paucis abhinc annis efflagitasse, quo eis licentia facta est domum suam secundum patriæ leges possidendi. Verum ad id unum id exemplum valere potest ut, quæ hactenus in Gallia, Belgio et Neerlandia facta sunt, non displicere censeantur pontifici Romano : ast in his nequaquam latet difficultatis nodus; ad multo plura pertinet.

Non una videlicet lex canonica de paupertate religiosa cum Gallicanis aliisque inde ortis legibus

non convenit; sed sexcentæ sunt aliæ: v. g. eæ omnes quæ spectant ad jus asyli; item quæ in immunitate ecclesiastica adstruenda versantur et tanto sunt numero; item quæ de pœnis sunt, infligendis incorrigibilibus; item quibus clerici vetantur testimonium dare in causis sanguinis; item quibus continentur impedimenta matrimonialia, de quibus primis sæculis ita satagebat ecclesia cum potestate civili consentire ut eam sæpe pone sequeretur: sed hujus loci non est ea omnia enarrare, in quibus ambæ respublicæ a se invicem dissideant. Quis hæc umquam componat? An vero ut oppositio cesset, adire oportet sanctam sedem eamque rogare ut generali decreto dispenset in his omnibus canonibus, qui cum civilibus legibus pugnent seu servari non possint? Verum quum, impetrata hac universali dispensatione, unitas disciplinæ ecclesiasticæ in patriarchatu occidentali plane scissa foret; nonne liquet id remedium calamitatem fore, malo majorem? Nonne sat damnorum ex diversitate legum et rituum in Oriente orta sunt? Nonne præstat, omisso itinere Romano, eas servare leges, quæ servari queant; quæ vero nequeant, ad eas proxime accedere atque totis præcordiis ad id anhelare tempus, quo fas sit nil ex eis omittere? Equidem de tam immani argumento judicium neque ferre audeo, neque debeo.

Placet tamen aliquid afferre ex epistola DLXXII S. Francisci Salesii, quod nonnihil huc valere videatur. Quum nempe moniales de Visitatione B. M. Virginis auctoritate Romani pontificis in congregationis religiosæ formam composuisset beatissimus antistes, sensit necesse esse ut pro communi lege officium ecclesiasticum recitarent; verum consultius duxit ut parvo B. Mariæ officio se continerent : cujus rei licentiam ad decennium a sede apostolica impetravit. Quod temporis spatium demensus, scripsit Romam, petens ut concessa dispensatio renovaretur. Quod vero tum consilium acceperit, narrat ipsemet in illa epistola, quam ad S. Franciscam Fremiot de Chantal dedit. En particulam : « Mon solliciteur, ait, m'écrit qu'on a tort de recourir à Rome pour les choses ès quelles on peut s'en passer, et des cardinaux l'ont dit aussi : car, disent-ils, il est des choses qui n'ont pas besoin d'être autorisées, parce qu'elles sont loisibles, lesquelles, quand on veut les faire autoriser, sont examinées diversément; et le pape est bien aise que la coutume (idem dic de summa difficultate aut gravissimo periculo) autorise plusieurs choses qu'il ne veut pas autoriser lui-même à cause des conséquences. » Nemo potest non approbare tantam sapientiam.

EPILOGUS.

QUÆ SECUNDUM EXPOSITAM DOCTRINAM SIT DOMORUM REGULARIUM CONDITIO IN REGIONIBUS CISRHENANIS.

Quum autem, quam mihi proposueram metam, mihi attigisse videar, fas jam esset stylum ponere. Verumtamen prius declarandum censeo quo statu aut conditione sint regulares in Gallia, Belgio et Neerlandia communitates. Quod ut præstem opus non est singularum examinare regulas aut constitutiones; sed satis erit de unius Societatis nostræ dicere

domibus, quum inde facile intellectu futurum sit quid de reliquis sit statuendum. Videamus itaque quid Societatis leges ferant.

Ut initio jam monui, Societas, ut ordo religiosus est, nil possidet aut possidere potest; quodsi aliquando dicatur aliquid penes Societatem esse, id non magis accuratum est quam quum res universæ familiæ alicui tribuuntur; similiter nil possidere possunt provinciæ, ut provinciæ; adeoque generalis præpositus Societatis et singularum provinciarum præsides vivunt ex communi mensa domorum, in quibus resident. Singula autem domicilia, sive domus professæ sint, sive collegia, sive novitiatus, sive residentiæ aut missiones, res suas habent; quæ unicuique domui ita sunt propriæ, ut ab una ad aliam transferri nequeant et ut justitiæ leges non minus inter eas violari possint quam inter fratres carnales, qui singuli suum patrimonium habent. Quæ vero uniuscujusque dicuntur esse domus, possidentur a legitimis inquilinis, non ut singulis, sed ut universis, more veterum universitatum, quæ a republica institutæ non sunt; quemadmodum jam explicui.

Collegia autem Societatis censentur pupilli perpetui; ita ut supremam curam vel superintendentiam habeat Societas professa; cujus superintendentiæ exsecutio penes præpositum generalem sit. Quo cautum est ut, quum collegia reditus seu possessiones ha-

beant, usibus et necessitatibus studentium applicandas, hi illis bonis abuti non valeant; neque Societas professa aut generalis præpositus ea in proprios usus convertere possit : hanc autem suam auctoritatem exercet generalis præpositus aut directo, aut potius per rectores et provinciales quos designaverit.

Hæc communis et ordinaria lex. Verumenimvero non ea semper est temporum aut locorum felicitas ut servari possit ; quemadmodum paucis notissimisque exemplis demonstrabo.

Quum Societas nostra Friburgi in Helvetia restituta est, redditum non fuit a republica pristinum collegium ; sed ita in id introducti fuerunt nostri ut collegium et omnia ejus bona in reipublicæ dominio remanerent, ne concessa quidem bonorum administratione, sed fructibus dumtaxat ad victum magistrorum adhibitis.

Qui autem prope erat convictus, is ab opulentis aliquot civibus exstructus, neque umquam concessus aut venditus fuit Societati, sed certo annuo pretio locatus.

Item in Belgio titulo conductionis occupamus collegium Alostanum ; quod oppidi fundum esse latet neminem.

Quid, quod Turnholti, quod aliud Belgii oppidum est, biennium ita vixerunt nostri ut scholæ, habitatio, quin etiam cibus et potus quotidianus preca-

ria essent et in singulos dies liberalitate pientissimæ virginis concederentur?

In Gallia et in Hispania plura majora et minora seminaria retinent nostri; quæ personæ civiles censentur, concilii Tridentini legibus rectæ atque etiam imperialibus et regiis: ita ut nostris plane libera administratio non sit.

Collegium vero Bruxellense precario habet villam, quæ nobilis familiæ est; et similia contigerunt sæpe aliis domibus in Belgio, in Gallia et alibi.

Olim autem in Turcia Europæa multo aliter expediverunt se nostri difficultatibus, quibus undique cingebantur. Quum enim illic Franci aut nil possidere possint, aut saltem nil tuto; quumque insuper quædam illic vigeant principia, alibi vix nota, eo confugerunt. Moris scilicet illic est, quum nullum fere dominium (nisi sacrum) securum sit, ut ipsi Turcæ res suas donent mahumetanis templis (a quibus pauperum levamen quoque pendet) ea lege ut, soluto annuo canone, iisdem totam vitam utifrui possint. Receptum etiam est ut presbyteri, in quibus non tam homo quam officium consideratur et dignitas, censeantur numquam mori; adeo ut qui vivit ejusque decessores et successores una persona habeantur. Dederunt itaque missionarii nostri domos suas, collegia et ecclesias fabricis seu *vakouf* mahumeticæ sectæ, servato sibi jure iisdem utendi pro soluto annuo

vectigali, quod in pauperes distribueretur. Quum autem anno 1773 Societas suppressa fuit, successerunt missionariis nostris presbyteri sancti Lazari, atque hi etiamnum eadem ratione vetera nostra ædificia occupant. Vehementer in hæc invehitur Poucqueville ; sed melioribus ingeniis res ita probata fuit ut passim laudetur.

Societas itaque, licet vulgo culpemur ab inimicis quod nil præter leges nostras novimus, sategit semper, quantum sine Dei contumelia fieri posset, se temporibus, locis et hominibus accommodare, non sua quærens, sed quæ Jesu Christi.

Ut idem nunc fiat in Belgio, Gallia et Neerlandia necesse est. Satis enim superque ostendimus fieri non posse absque summa temeritate ut, pro institutis nostris, uniuscujusque domus incolæ ejus proprietarii sint, ut universi ; sed oportere ut aliqui id dominium habeant, ut singuli : eosque non ficte, sed vere proprietarios esse, ita ut in has domos Societas jus nullum habeat, et, si collegia illic instituat, id ab ea non fiat nisi precario. Hæc profecto dura et ærumnosa conditio ; verumtamen, quantacumque sit hominum, etiam religiosorum, fragilitas, per Dei misericordiam nil hactenus, quod sciam, impedimenti experta est superiorum auctoritas ; nil detrimenti passa vita communis ; neque alia orta graviora incommoda : norunt quippe professi sibi

nihil licere, nisi quod suadeat necessitas; ubi vero hæc cesset, se communibus obedientiæ et paupertatis officiis teneri : qua in re majus forte præsidium positum est, quam si supremus ecclesiæ magistratus eo interveniret, certis omnia definiens regulis.

Et quidem, quum triginta jam annos res ita in Belgio compositæ sint et prope quinquaginta in Gallia, spes est non cessaturum Deum nobis adesse; quam spem auget conditio scholasticorum, qui ab exordiis Societatis bonorum suorum retinuerunt dominium, quin inde umquam labefacta sit religiosa paupertas aut vitæ communis observatio. Verum, quæcumque ineantur rationes, id in ín fine dicendum superest : « Nisi Dominus ædificaverit domum, frustra laboraverunt qui ædificant eam ; nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam (1). »

(1) Ps. CXXVI, 1, 2.

INDEX CAPITUM.

Prooemium. Hujus epistolæ ratio . . . . . .

Caput primum. An canonica monasteriorum ratio ea sit ut personas civiles constituant. Quæ hac scriptione demonstranda. 9

Caput ii. An solemnitas votorum constitui possit in traditione religiosi, accepta a Deo ecclesiæ interventu. 21

Caput iii. An solemnitas votorum constituenda sit in vi producendi effectus morales seu infirmitatem actuum contrariorum 41

Caput iv. Votorum solemnitatem consistere in interventu ecclesiæ, eadem singulariter auctoritate sua confirmantis, declaratur. 63

Caput v. Solemnitatem votorum in confirmatione ecclesiæ positam esse demonstratur significatione communi et juridica verbi *solemnis*. 70

Caput vi. Idem argumentum illustratur historicis exemplis 73

Caput vii. Solemnitatem votorum in confirmatione ecclesiastica positam esse ostenditur ex vi vocabuli, quum vota simplicia et solemnia primum diligentius distincta sunt 82

Caput viii. Præcedentis capitis argumentum, insertis animadversionibus in bullam Gregorii papæ XIII *Ascendente Domino,* continuatur 105

Caput ix. Ostenditur ex disciplinæ varietate votum castitatis solemne fuisse, quin de ejus esset essentia vis dirimendi matrimonia. De dissolutione matrimonii rati propter professionem religiosam. . . 118

Caput x. Ostenditur veteres monachos et partim canonicorum regularium proprietarios fuisse. De canone *Insinuante* Innocentii papæ III. 140

Caput xi. Ostenditur dispensandi usu impedimentum dirimens voti supervenisse solemnitatem professionis religiosæ 164

Caput xii. Ostenditur item dispensandi usu religiosos professos non propter nudam votorum solemnitatem incapaces esse dominii 175

Caput xiii. Referuntur multa vota solemnia, ex quibus nulla oritur incapacitas aut effectus morales . . . 193

Caput xiv. Examinatur an propositæ doctrinæ obstet caput *Cum ad monasterium* 220

Caput xv. Confirmatur doctrina exposita gravissimorum virorum auctoritate. 232

Caput xvi. Inquiritur utrum lex ecclesiastica, qua religiosi solemniter professi vetantur rerum temporalium dominium habere, sit prohibens dumtaxat, an irritans. Quæ inde in præsenti rerum conditione sequantur 269

Epilogus. Quæ secundum expositam doctrinam sit domorum regularium in regionibus Cisrhenanis conditio. 308

3861